









XXXIV

GRETS

Demonstrat. Dogm.

Eccles. &c.

MVRICES CATHOLICAE ET GERMANICAE ANTIQVITATIS, SECTARIORVM PRÆDICANTIVM PEDIBVS POSITI ET SPARSI.

Hoc est,

DEMONSTRATIONES QVORVNDAM ORTHODOXAE ECCLESIAE DOGMATVM EX COMMVNIBVS NOTIO-

nibus, vulgatisq; sentiendi, loquendi, & agendi rationibus & formulis desumptæ; quas nunquam euertent, nisi prius Germanicam linguam, animosq; Germanorum penitus inuertant.

Auctore

IACOBO GRETSERO, SOCIETATIS IESV.

ANNO *M.DC.VIII.*

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

Et hoc, quidquid est, opellæ, sub tua clientela in lucem exire iussi; illud etiam atq; etiam rogitans, vt quod agis, agas; hoc est, libros bonos, Græcos & Latinos strenuè & indefessè euulgare pergas. Quid præclarius & optabilius, hoc præsertim æuo, quàm bene mereri de Ecclesia, & Republica literaria? Hæc tibi laus competit; vel ipsa fatente Inuidia; tametsi abnuente Hæresi; *cui ex tua officina nihil emolumenti; plurimum autem detrimenti editione tot operum auitam & patritam religionem fortiter defendentium, prouenit. Fauit hucusq; cœptis tuis aura secunda; vel, vt rectius loquar; ille, qui supra nos, auræ secundæ auctor & largitor.* SARTORIANI *nominis gloria bibliothecas; & eruditorum pulpita compleuisti, & Ingolstadiensem Academiam Vrbemq; elegantia artis typographicæ exornasti: adeò, vt non modò Germani, sed & exteræ nationes venustatem characterum tuorum suspiciant, & admirentur; imò & expetant; si quid lucubrationum in publicum dare velint.*

Quid superest, nisi vt hæc tua laus; & propitia fortuna perennet, atq; ad posteros tuos transmittatur; vt per aui patrisq; vestigia gradientes, ipsi etiam benefactis in Ecclesiam & Rempublicam Christianam collatis, clarescant, inque eorum numerum referantur, qui alios sui memores fecere MERENDO. *Vale. Ingolstadij XXVII. Octobris Anno Redemptoris M. DC. VII.*

AD

AD LECTOREM.

RECENSVI, ET AVXI, AMICE LECTOR, demonſtrationes quorundam orthodoxæ fidei dogmatum,& rituum ex communibus ſentiendi,& loquendi Germanorum formulis petitas, quas quia Germanica verſio *Murices* inſcripſit; eodem titulo vti libuit; Nam huiuſmodi apodixes verè ſunt Prædicantium pedibus *Murices*, quibus ſeſe miſerabiliter induunt,& ſauciant; quas peſſimis quoque modis oderunt, exque odij immenſitate penitus exterminatas diſcupiunt; nouis in earum locum ſentiendi, loquendi & agendi rationibus ſuffectis; quanquam interdum ita ſtulteſcunt; vt ipſimet viam; qua ire cogitant, muricibus ſternant; & malum ſuo iumento ſibi accerſant.

Euulgauit nuper Caluini quidam ſectator Alamannicos ſcriptores, Hepidannum,Ratpertum, Ekkehardum Iuniorem, Burckhardum,Conradum Fabarienſem, Bertholdum, VValafridum Strabum,Iſonem,Theodorum Eremitam,Ermenricum Eleuuangenſem, Heppidannum Iuniorem, Ekkehardum Minimum,& alios; qui omnes quot lineas & periodos conficiunt, tot ſectariis *Murices* Alamannicæ, & Germanicæ Antiquitatis ponunt: Omnes vel ipſimet fuère Monachi; vel de Monaſticæ vitæ Profeſſoribus & Anteſignanis; de Monaſteriorum rebus geſtis & caſibus,de Monialibus,virginumque cœnobiis, de Ecclesiis conditis, dotatis, ornatis, de altaribus,de clericis & Sacerdotibus,de imaginibus, de inuocatione Sanctorum, de Miraculis per ſacras Reliquias editis,de diebus feſtis. de Miſſæ ſacrificio perpetim offerri conſueto; de ſuffragiis pro defunctorum ſubſidio inſtitui ſolitis,deque centenis aliis capitibus, ita ſcribunt; vt manifeſtiſsimum ſit; nullam penitus in Alemannia fidem vnquam palam viguiſſe & inſediſſe, præter illam,

quam Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, & similes turbines ex Germania, imò & ex toto terrarum orbe explosum iuêre. Nullus apparet in horum monumentis Lutheranus Prædicans; nullus Zvvinglianus vel Caluinianus Minister. Nulla cœna Lutherana vel Caluiniana. Nullum fanum Lutheranum vel Caluinianum. Nec ea opinionum portenta visuntur, quæ hodie à Nouatoribus publicè propugnantur. Omnia Catholicam & Romanam fidem spirant & repræsentant: omnia sectariorum plantis murices imprimunt; nam quod interdum vnus vel alter Romanum Pontificem, aut curiam eius, aut mores Sacerdotum Monachorumue acriore calamo perstrinxit; an ideo Lutheranus est vel Caluinianus?

Euulgauit alius Caluinista Rerum Germanicarum scriptores; Brunonem de bello Saxonico, Annales Fuldenses, Chronicum Laurishamense, Godefridum Monachum ad S. Pantaleonem Coloniæ, Chronicam Australem, Chronicam Augustensem, Henricum Steronem, Henricum Monachum Rebdorffensem, Chronicum Eluuangensis Monasterij. Quid horum omnium commentarij aliud sunt, quam Murices Prædicantium, & omnium Nouatorum gressibus positi? A quo? A Caluiniano Editore, qui prædictos Rerum Germanicarum Chronographos & Historiographos ex tenebris extraxit. Quæsiui diligenter; num quem in prisca, quam describunt, Germania Lutheranum vel Caluinianum Prædicantem reperire liceret. Nullum reperi; nullum, inquam; nec arbitror vnquam repertum iri, licet omnes Prædicantes, collatis operis, etiam accensis lucernis & lampadibus, quærant. Omnia Monachis & Monasteriis, Clericis, Sacerdotibus, Monialibus, Parthenonibus, Episcopis, Archiepiscopis, templis consecratis, altaribus, Missis, precibus pro defunctis & id genus aliis, sectariorum stomacho penitus inuisis, redundant.

Publicauit alius Nouator Historicorum illustrium Germaniæ volumina duo, in quibus continentur, Otto Frisingensis, Otto de S. Blasio, Hermannus Contractus, Bertoldus Presbyter Constantiensis, Dominicanorum Colmariensium Fasti, Albertus Argentinensis, Monachus S. Iustinæ Paduanæ, & alij, quorum

rum omnium libri, nil aliud loquuntur, quàm Germanos ante Lutherum & Caluinum, nec Lutheranos, nec Caluinianos fuisse; nullum enim ex his historicis proferent; ne Hæreticum quidem; qui per omnia tradiderit eam doctrinam, quæ in Lutherana Concordiæ Formula; vel in Confessione Geneuensi, aut Tigurina comprehenditur. Nusquam Lutheranus visitur vel auditur Prædicans. Omnia Sacerdotum & Monachorum plena sunt. Omnia Prædicantium vestigiis sunt sentes, senticeta, murices.

Henrici IV. Imperatoris vitam & res gestas; seu Apologiam, vt & Friderici secundi; Epistolas à Petro de Vineis scriptas cudunt & recudunt sæpissimè Nouatores. Quo consilio? An vt ostendant, Henricum IV. & Fridericum II. eorumque asseclas fuisse Lutheranos, aut Caluinianos? Non abnuo. Contumacia, & peruicacia animi, conuiciis item & maledictis in sedem Apostolicam, legitimosque Christi Vicarios, & insectationibus eorum, qui schismati pacem & charitatē anteponebant, egregiè *Lutherizarunt* & *Caluinizarunt*; at, quo ad dogmata cætera, quæ Lutherani & Caluiniani amplectuntur, & profitentur, eos cum Luthero aut Caluino sensisse; ne impudentia quidem affirmauerit: nec temerè mihi persuadeo, hos duos Imperatores, qui tranquillitatem Ecclesiæ perniciosis seditionibus miserabiliter turbarunt; ferro & igne Lutheristas, & Caluinistas persecuturos fuisse, si sua ætate ex inferorum faucibus exstitissent.

Ediderunt duo sectarij Historiam Ecclesiasticam Adami Bremensis; Historiam Archiepiscoporum Bremensium; Annales Helmoldi Presbyteri Buzouiensis in Agro Lubecensi, eorumque supplementum scriptum ab Arnoldo Abbate Lubecensi; & Chronicum Alberti Abbatis Stadensis, quæ monumenta apertissimè testantur Bremensibus, Lubecensibus, aliisque in eo Germanici orbis tractu indigenis, ab initio Christianismi iis in partibus propagati; aliam religionem non fuisse traditam, pręter illam, quam Lutherus, irreparabili tot millium animarum damno, inde profligauit.

Prætereo alios Germanicorum Historiographorum vel Chro-

Chronologorum Hæreticos editores; qui ſi rebus, vel potius plantis ſuis conſultum vellent; hos Germanicæ antiquitatis Murices magis abſtrudere, & à Prædicantium pedibus amoliri, quàm ſpargere debebant: niſi fortè quia ipſi ſenſu carent; etiam alios ſui gregis ſenſu deſtitutos arbitrantur. At non omnes ſenſu horum muricum carere, teſtatum paſsim faciet hic meus liber; & ipſi non diffitentur. Quocirca tollere properant.

Pupugit, vel rectius loquendo, vulnerauit Lutherum, Muricum inſtar, articulus ille ſymboli; *carnis reſurrectionem*; ſic Germanicè redditus; Aufferſtehung deß Fleiſches. Itaque mutatum, ſi non ſublatum, voluit. *Quod hoc hic ponitur*, inquit Lutherus, *ne hoc quidem valdè aptè & bene linguâ noſtrâ vernaculâ expreſſum eſt. Etenim carnem audientes, non vlterius cogitamus, quàm de macello.* Non decet, Luthere, vt alios ex tuo ſenſu æſtimes: cum enim tu ſupra macellum, culinam & cellam vinariam ſeu cereuiſiariam nil ſapias; num ideo alij tecum non plus corde, quàm ore & palato ſapiunt? Quis tam rudis, imperitus, & brutus eſt, præter te & tuos, qui, audita carnis reſurrectione, etiam vernaculo idiomate, cogitatione ad macellum delabatur, cum nemo neſciat, *carnis* vocabulo, accipi alteram hominis partem, quæ in ſepulchro computreſcit, & in terram vertitur; & alio nomine corpus appellatur?

Luth. in catechiſ. Maiore.

An non in antiquiſsimis Germanicæ linguæ ſymbolis hæc verſio exſtat? Vetuſtiſsimum certè ſymbolum ex quodam Codice S. Galli deſcriptum, cuius fidem & venerandam caniciem ſuis locis ſæpius laudamus, ita habet. Fleiſkes urſtodah. Aliud minus vetuſtum à Zvvinglianis Vadiano & Stumphio, recitatum: Geloubo deß Fleiſkes urſtende. Vides non ſatis fuiſſe flagitioſo hæreſiarchæ, vt fidem Germanorum immutaret; Etiam ad ſermonis formulas, & quidem ſacras, libido nouandi prorupit.

Vad. lib. 2. de Monaſt. Stūpf. lib. 4. Chron.

Si audita Germanica voce Fleiſch / menti ſtatim macellum obiicitur, & obuerſatur, cur Lutherus ſuis in Bibliis illa Apoſtoli. *Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit*; Et, *quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius.* Et, *Erunt duo in carne*

Epheſ. 5.

vna:

vna: sic Germanicè vertit. Dann niemandt hat jemal seyn eigen Fleisch gehasset/2c. Denn wir sind Glieder seines Leibs / von seinem Fleisch vnd seinem Gebeine. Vnd werden zwey ein Fleisch seyn. Cur non timuit, ne per dictionem *carnis* lectorem suum ad macellum abduceret, si hanc abducendi vim Germanica vocula Fleisch habet?

Rectè & genuinè loquendo, inquit Lutherus, *Germanicè diceremus*, Aufferstehung deß Leibs oder Leichnams/ *hoc est, corporis resurrectionem.* Fidem nobis tum facies, quando citatis Apostoli locis vocabulum Fleisch / expunxeris; & illud alterum, Leib / substitueris; & quando locum illud Geneseos: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: non, vt prius, Germanicè reddideris; Daß ist doch Bein von meinen Beinen / vnd Fleisch von meinem Fleisch: sed; Leib von meinem Leib/tunc, inquam, in symbolo non dicemus, Aufferstehung deß Fleisch/ sed, Aufferstehung deß Leibs/prout habet Symbolum quoddam aliud Germanicum; apud Editorem scriptorum Alamannicorum, sed æuo longè inferius, quam sint duo illa symbola, quorum antea mentionem fecimus.

Genes.2.

In eodem symbolo non apparet articulus de Christi ad inferos descensu. Editor hoc, tanquam memorabile, obseruari iubet, consensumque *Alamannicæ Ecclesiæ cum Græcis Latinisq; vetustis deprædicat.* At in symbolo Notkeri æquè vetusto, si non vetustiore, exstat descensus Christi ad inferos. Ze Hello fuor. Cur non & de hoc admonuit ex suis Vadianũ & Stumphium? Cur non monuit in longè antiquiore symbolo, quod ex antiquissimo Bibliothecæ S. Galli codice exscriptum est, reperiri descensum Christi ad inferos? nam Editorem, symbolum hoc non vidisse, vix crediderim, cum sit non nouus S. Galli incola. Quid verò illud Symbolum? Stehic in vvizzi / steigt / seu, vt Heluetij, stigt in dpfützen/pro eo, quod nos: Abgefaren zur Hellen. Vocat Inferos seu Infernum Pfütze / quod Latinè est *palus*, alludens ad illud Zachariæ: *Emisisti vinctos tuos de lacu*; vbi lacus apertè pro inferno ponitur: Et crebro in scripturis lacus pro loco & ergastulo subterraneo accipitur. Hinc apud Danielem, *lacus leonum*: Hier.37. *Ingressus est Hieremias in domum laci.* Et cap. 38.

Zach.cap.9.

Proiecerunt eum in lacum. Psal. 27. *Aßimilabor descendentibus in lacum.* Psal. 142. *Similis ero descendentibus in lacum.*

Porro, si omisſio huius articuli eſt argumentum conſenſionis cum Latinis Græciſque priſcis Doctoribus, ſequitur, Lutherum & Lutheranos, Caluinum & Caluinianos à vetuſtis Patribus diſſentire; quia ſuis in ſymbolis hanc partem non omittunt, vt teſtantur Catechiſmi Lutheri & Lutheranorum, Caluini & Caluinianorum. Et quamuis aliqui veterum non meminerint *deſcenſus ad Inferos*, alij tamen meminerunt: de quo, qui volet, Bellarminum conſulat.

Bellarm. lib. 4. *de Christo c. 6.*

Longè maius operæ pretium feciſſet Editor, ſi monuiſſet in eodem ſymbolo, vel profeſsione fidei inueniri hunc articulum: Ich gelob daß mir gelonet ſoll werden noch minen Werchen. *Credo me accepturum mercedem ſecundum opera*, ſeu, vt Editor vertit, *ſecundum merita mea.* Num hoc dogma Eccleſiæ Alemannicæ Lutheranum eſt, aut Caluinianum?

Si annotaſſet articulum; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*: ſic in eodem ſymbolo verti: Ich gelob an die Chriſtenhait Gottlich vnt allich / immortalem gratiam à Lutheranis iniiſſet; nam Lutherus in Catechiſmo Maiore expreſsè dicit; ſenſum huius articuli eſſe hunc: *Credo ſanctam Chriſtianitatem.* Sed hanc gratiam imminuiſſet vox, allich / quæ *vniuerſitatem*, ſeu *vniuerſalitatem* denotat. Quapropter ipſemet Editor. *Credo in Chriſtianitatem diuinam & vniuerſalem.* Apage à Lutherana & Caluiniana ſchola vocem, *vniuerſalis.*

Litaniæ vocabulum etiam Germanis vſitatum eſt. Quid enim in vulgi ore tritius, quàm ein Letanei. Exſtat Tomo ſecundo Alamannicorum Scriptorum Litania Germanis in vſu tempore Ludouici Iunioris, Regis Germaniæ Anno Chriſti D. CCC. L. deſcripta ex vetuſto Bibliothecæ S. Galli Codice. Moroſè admodum ſtomachatur Editor in eam Litaniam, *quæ Francofurti ad Mœnum in Æde D. Bartholomæi oſtentatur*, vt ait. Qua de cauſa? *Quia noſtra membrana*, inquit Editor, *ex ſanctis aduocat tantùm triginta quatuor: Francofurtenſis, amplius quingentis quadraginta. Prorſus mihi perſuadeo, quot Sanctorum numeris, totidem diſtare*

anno-

annorum seculis, & HLudouici atq; Emmæ nomina ab imperito librario retenta fuisse.

Malè tibi hoc persuades, mi homo. nam, vt hodie circumferuntur variæ Litaniæ, quædam longiores, quædam breuiores; quædam pluribus Sanctorum nominibus insignitæ; quædam paucioribus: ita & tum plures circumferebantur. Quocirca sicut ineptè faceret; qui contenderet, Litaniam, quæ Sabbato sancto, pridie Paschatis, Romano more, & ritu canitur, esse antiquiorem communi illa, quæ Romano instituto per totius anni decursum vsurpatur; ita imperitè facit iste, cum ex pauciore Sanctorum numero concludit, illam ex S. Galli membranis esse vetustiorem; alteram, recentiorem, idque propter copiosiorem Sanctorum catalogum. Qui triginta quatuor cælites inuocat; is minimè abnuit quingentos quadraginta inuocare; imò si Lutherani & Caluiniani vel vnum sanctum inuocarent, caussæ nihil haberent, cur non omnes inuocarent.

At quid tricantur & tergiuersantur nugatores? Dicant nobis planè & absque anfractibus; num vel triginta quatuor sanctos inuocare Lutheranum sit, vel Caluinianum? Lutherani saltem nomen & speciem quandam Litaniarum retinent. Caluiniani vix nomen ferunt. Adeò cum Priscis Alamannis Nouatores nostri concinunt.

Exstant Litaniæ Priscorum S. Galli Cœnobitarum Notkeri Balbuli, Ratperti, Hartmanni, ex quibus aliæ plura, aliæ pauciora Diuorum nomina continent. Quid inde Caluinista conficiet? Num eas, quæ plures Cælites complectuntur, non censendas legitimas? Tam parum hoc confit, quàm parum sequitur, non esse legitimam vulgarem illam & quotidianam Romani Breuiarij Litaniam, quòd plures sanctos signatè & speciatim inuocet, quàm illa, quæ recitari solet apud moribundos, quando animam agunt.

Tom. 5. Antiq. lect. D. Canisij.

Germanis vsitatissima Phrasi appellatur Monasterium ein Gottshauß/*domus Dei*. In veteribus tabulis & instrumentis, *casa Dei*. Vadianus Sacramentarius nec Latinam, nec Germanicam vocem ferre potest. Latinam vocat *barbaram*. Quî barbara? An *casa* nomen est barbarum? An nomen Dei barbarum? *Sed*

Vad. lib. 2. de Monast. & Colleg.

ſit barbarum, inquiet, *quando ad Monachorum domicilia transfertur.* Qua de cauſſa, obſecro? An ideo duntaxat, quia tu Monachos capitali odio perſequeris?

Fatetur appellationem hanc priſcis ſæculis fuiſſe *protritam.* Cur ergò tu contra priſcum & receptum morem brachia tendis, Germanosque maiores tuos, protritas loquendi formulas dediſcere, & tuas condiſcere iubes? Nominas appellationem illam Gottshauß *non modò ambitioſam, ſed & affectatam.* Fidem non facis; quia à moribus, vita & lingua veterum Germanorum nil magis abfuit, quàm affectatio & ambitio; veriſimile igitur non eſt homines ſimplicitate & ſinceritate maximè conſpicuos quidquam hîc per ambitionem & affectationem egiſſe. *Domus Dei*, inquit Zvvinglianus Alaſtor, *eſt domus orationis*; (Etiam Monaſterium eſt domus orationis, continuis enim precibus, & laudibus diuinis indeſinenter celebrandis deſtinatur. *(in qua nihil offertur ceu ex nobis* (etiam in Monaſterio nihil offertur *ceu ex nobis*, ſed omnia de diuinis donis ac datis offeruntur; quia *ſufficientia noſtra ex Deo eſt.*) *Sed oratur & inuocatur Dei miſericordia* (idem fit in quouis Monaſterio) *quæ peccata noſtra diluat & reſarciat iuſtitia ſua per filium Chriſtum* (adhibitis tamen ad hanc expiationem legitimis & diuinitus inſtitutis modis & mediis) *quæ fragilitas humana non poteſt aſſequi.* (Non poteſt ex ſe, propriisque viribus: Poteſt, adiuta cœleſtis gratiæ ſubſidio.)

2.Cor. 3.

Ait Hæreticus, *ſe nolle excutere, vtrum caſæ Monaſteriorum hodiernæ, mereantur nomen caſæ Dei: Rem ipſam loqui, orationum ne an negotiationum domus exiſtant.* Res ipſa docet te calumniari: nam vt alicubi & ab aliquibus ſegnius & oſcitantius diuino ſeruitio & cultui vacatum fuerit, ſemper tamen exſtitêre, qui memores ſe in domo Dei verſari, partes ſibi commiſſas egregiè explere ſtuderent, & Monaſteriorum inſtitutioni conſentaneam vitam agerent. Socordes & reſides excitandi & ad propoſitum finem perſequendum incitandi erant; non propter illos, etiam inſontes damnandi; & exterminandi, ipſaque Monaſteria vel vaſtanda, vel in profanos vſus vertenda. Nam & Chriſtus propter nummularios, & columbarum, aliarumque mercium in templo Hieroſolymitano venditores, non expulit inde Sacerdotes

dotes & Leuitas; nec templum ſubrui, vel profanari iuſsit, ſed abuſum ſuſtulit; ſaluo templo, ſaluo ſacerdotio, ſaluis ſacrificiis, ſaluis omnibus ſacræ illius Aedis adminiſtris, tantùm abeſt, vt, illius impulſu, plebs furibunda in templi intima penetralia irruerit, & quidquid ſors offerebat, diripuerit, & expilarit, quod S. Galli Monaſterio accidiſſe ſcribit Vadiani Scholiaſtes: inſtinctu Zvvingliani Spiritus, qui ſub ſua primordia impotentiſsimè, & effrenatiſsimè in Deo dicatorum hominum domicilia deſæuiebat, &, Mænadis inſtar, bacchabatur, donec maniacus furor nonnihil reſedit.

Non eſt autem, quod quis miretur, nos ex communibus notionibus, formulisque ſentiendi, loquendi & agendi vulgaribus, priſcisque ritibus argumenta Orthodoxæ doctrinæ adſtruendæ petere. Faciunt hoc non raro ipſi ſectarij, aliquando quidem pro veritate; ſæpius pro falſitate ſtabilienda. Cum Carlſtadius, & eius contribules, inconſulto Luthero, VVitebergæ imaginibus bellum indixiſſent, Lutherus, vt fanaticos turbatores refelleret, argumentum à nummis quoque & cyathis ducendum cenſuit; quæſiuitque, *an nummos itidem cyathosq; & aureos Ioachimicos, qui imaginibus inſigniti ſunt, abiiciant & repudient; Et ſi hos in loculis & ſupellectili ſua retineant; cur imagines in templis ferre nolint; cum earum vtrobique ſimilis ſit ratio?* Imò ſuaſit, *vt hi tanti imaginum hoſtes & demolitores, omnibus nummis & Cimeliis imaginiferis ſpoliarentur, ne vlla eis per imagines peccandi ſuppeteret occaſio.*

Luth. lib. contra cæleſtes Prophetas.

En Lutherus ex more Germanorum, qui monetam Diuorum, & ſanctæ Crucis iconibus notare ſolent, Carloſtadium cum ſociis refutat; num ſeriò, non diſcutio: neque enim tam imaginum abolitionem doluiſſe & deploraſſe videtur Lutherus, quàm quòd adeò præclari facinoris gloriam ſibi à Carloſtadio præreptam animaduertit.

Neque etiam curioſius inquiram, quo animo ſeu Lutherus, ſeu Lutherani, hoc, cuius Ectypon hic tibi exhibeo, numiſma cudere voluerint.



Profectò ironicum esse nummum docent innumera conuicia, & maledicta, quę Lutherus & Luherani in sanctam Crucem euomuerunt, & adhuc euomunt; de quibus alibi copiosè. Hiccine crucem Christi pro *salute nostra* habeat, qui hæc impia in crucem, faucibus impuris, eructauit? Wann ich ein Kriegsmann were/ vnd sehe zu Feldt ein Pfaffen oder Creützpanier / wanns gleich ein Crucifix selb were / so wolt ich daruon lauffen / als jagt mich der Teuffel: *Si essem miles, viderem que in acie Sacerdotem, vel ipsam quoque Crucifixi imaginem, non aliter inde profugerem, ac si ipse Diabolus me fugaret & insequeretur.* Et tamen etiam nummo cuso, suaque & sanctæ Crucis imaginibus insignito, nobis persuadere vult, se in Crucis cultu, veneratione & æstimatione Constantino Magno, aut Theodosio Magno, aliisque Christianis Imperatoribus, quorum crucigera numismata hodieque exstant, saltem æquiparari, si non anteponi debere; cum in eodem de bello contra Turcas vanissimo libro palam scribere non erubuerit; *Omnis miseriæ à Turcis Christiano orbi illatæ caussas fuisse Cruciatas, Indulgentias, & supplicationes crucibus præeuntibus institutas.* Hiccine Crucis criminator crucem Christi *salutem nostram* reputat?

Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 100. & lib. 2. cap. 68.
Luth. lib. de bello contra Turcas. Tom. 2. VViteb. Germ. fol. 447. a. Edit. VViteb. 1588.
Vide Tom. 3. de S. Cruce lib. 1.

Sed vt Luthero libris, & factis mentiri solenne fuit; ita & in hoc numismate consuetam artem vel ipse, vel discipuli & sectatores factitare, & impietatem suam luculento mendacio adaugere voluerunt; prout etiam fit in singulorum VVitebergensium & Ihenensium Tomorum frontispicio, vbi Lutherus, manibus complicatis, ad Crucifixi imaginem prostratus apparet, oculis in Saluatoris nostri faciem conuersis & defixis; cum tamen non semel vociferetur; *Omnes Crucifixi imagines, quæ cultu aliquo afficiuntur, comminuendas & funditus exstirpandas esse.* An procidere coram Crucifixi imagine non est Crucem honorare?

Sed

Sed quocunque animo hæc à Luthero & Lutheranis facta sint, vel adhuc fiant; inde colligo, quàm arduum Luthero cum suis acciderit, insitas pectoribus Germanorum de sanctæ Crucis veneratione notiones eradicare; cum si non ipse seipsum (quanquam cur non & hoc?) saltem Lutherani, in nummis cum crucis icone; in libris autem sub crucis effigie impostorem suum & seductorem depinxerint, depictumque ex collo suspendendum malè credulæ plebi venditarint; nam numisma Cruciferum, de quo loquor, ex collo, reuerentiæ caussa, gestatum fuisse; arguit filo inserendo pertusus margo.

Vnum vbi addidero, verbis compendium faciam. Si Nouatoribus nostris communes hominum ἔννοιαι, hoc est, notitiæ & conceptiones, itemque ritus, & consuetudines, veterumque res, & reculæ ita fauerent, vt fauent nobis, omnes semitas nostras muricibus sternerent, & obsererent, ita vt absque vulnere vix vspiam pedem figere liceret; quando iam, cum vel in speciem aliquid caussæ suæ conducibile reperiunt; illud ingenti cum clamore ingerunt, quod exemplo suo nos docet Beza, qui impudenter scribit, *vix esse templum, cuius picturæ & scripturæ non sint ipsius Papatus opprobriis refertæ.* A mendacio liber fuisset, si omnium Catholicorum templorum picturas & scripturas probris Caluinismi refertas affirmasset. Quid enim Caluinismo probrosius & ignominiosius, quàm quòd à Catholicis templis euidenter conuincitur, omnia ea mutasse, nouasse, sustulisse, quæ Maiores nostri à maioribus itidem accepta, tanquam sacrosancta colebant & venerabantur? Quo de genere sunt imagines, Cruces, & totus decor ornatusque Ecclesiasticus.

Beza epist. 81.

Nam quod Beza profert nescio quas picturas ex templo patriæ suę Vezeliensi, ex Argentoratensi, ex Cœnobio quodam Tubingensi, ex Augustiniano Monasterio Geneuensi; in contemptum Monachorum & Papæ efformatas, parum moramur: quia scimus hæc talia vel ab Hæreticis non pridem fuisse conficta; & postmodum pro priscis venditata, vel si ante sectariorum ortũ à maleferiatis capitibus efficta sunt; nil mirum, cum nulla sit

ætas, quæ bruchis, erucis, voracibus locustis, scarabeis, & id genus aliis animatis, vt sic dicam, retrimentis careat; agrisque, & hortis variorum fructuum feracissimis, veluti pestem, immittat. Et hic gradum sisto, meque tecum, mi lector, ad Murices rectà recipio.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PER SVPERIOREM GERMANIAM.

DEMONSTRATIONES istas quorundam Catholicæ fidei dogmatum ex communibus, & vulgaribus sentiendi, & loquendi notitiis desumptas, antea à P. IACOBO GRETSERO Latinè editas, & à nobis approbatas, in Germanicam quoque linguam conuersas, nunc auctiores, & locupletiores redditas, ego GREGORIVS ROSEPHIVS Societatis IESV per Germaniam superiorem Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. CLAVDIO AQVAVIVA Præposito Generali Societatis nostræ, typis mandari permitto, in quorum fidem hoc Auctori testimonium manu nostra subscriptum, & sigillo subsignatum dedimus. Ingolstadij 21. Octobris. M. DC. VII.

GREGORIVS ROSEPHIVS
PROVINCIALIS.

IN MVRICES ODARION.

MVRICIBVS captatur equesq́, pedesq́ sepultis,
Irruptionem cùm parant;
Attentant penetrare Vrbem, aut effringere vallum
Dolo malo, vi, viribus.
Pondere quo fuerint calces maiore, vel ictu;
Hoc altius stimulum inserent.
PRISCA FIDES, sed VERA FIDES, sententia vulgi,
Ratio loquendi, & notio
GERMANAE GENTIS, sed relligionis auitæ
Tenacis, & moris pij,
Sunt TRIBOLI, CVPISQVE latens: hostilibus ausis
ECCLESIAM quotquot petunt.
Fortibus impingant conatibus, impeteq́ omni
IN VERITATIS MVRICES;
Altius in plantam descendet cuspis operta:
Maiore dum sapiant malo.
Murice CRVX CHRISTI sed pungit acutius omnì:
Transadigit hostem, quem capit.

ADAMVS SARTORIVS,
ADAMI FILIVS: DAVIDIS
Nepos, poëseos studiosus.

ALIVD IN EOSDEM MVRICES CARMEN.

QVAE poteras inter Getici Diomedis auenas,
Inter & Atridæ iure fuiſſe cibos;
Quæ poteras hoſpes olim paſtoris Iberi,
Medeæ ſoboles, frater, & eſſe pater;
Quæuè Peletroniæ caput obiectare ſecuri,
Debebasq́ omni chara fuiſſe malo:
Huc ades Elyſiæ ſtirps pernicioſa colubræ,
Durateum vt pereas ædificamus equum.
Qui licet inſidias indoctus Graiugenarum;
Et nullis poſſit lædere velle dolis;
Non tamen imbelles bella in vincentia dextras,
Sed feret Hæreticis noxia pila globis.
Terſandrum, Sthenelumq́ duces licet, aut Menelaum,
Autoremq́ mali neſciat ipſe virum:
Et neq́ Dulichios expectoret ille furores,
Longè aliis grauidus murmurat inſidiis.
Os populi, plauſusq́ patrum, moresq́, modosq́,
Et teſtaturos Relligionis auos,
Luthero exitium, lethumq́ fugamq́ ferentes
Emittet gremio quos tenet ille ſuo.
Nam veterum ritus, veterum quoq́ verba loquuntur,
Albas pro noſtrâ Relligione notas.
Liuida gens audi, quid auita vocabula clament;
Quos in te iaciat priſca loquela modos;
Quàm tua poſteritas non intellecta loquatur
Verba, & opem noſtris ritibus ipſa ferat.
Scilicet hæc eſt ſors, rerum & vertigo malarum,
Vt tantum proſint, lædere quando volunt.
Sed quid ago? Sileo. Flammas GRETSERE *Sinonum*
Excute, & inceptum proſequere excidium.

Index

Index Capitum.

MVRICES CATHOLICAE ET GERMANICÆ ANTIQVITATIS.

CAPVT PRIMVM.

Ratio instituti operis, & quanti facienda sint argumenta ex communibus notionibus, & loquendi formulis.

PRo fidei Catholicæ dogmatibus, quæ aduersarij in quæstionem vocant, adeò copiosè, solidè, eruditè, & piè à plurimis, & doctissimis huius seculi scriptoribus scriptum est; vt vix arbitrer vllam ætatem exstitisse, quæ contra oppugnatores orthodoxæ religionis plures propugnatores protulerit. Habuerunt quidem anteacta quoque tempora pugiles fortissimos, & inuictissimos aduersus Nouatores; sed, si verum fateri volumus, pauciores, quàm hoc nostrum æuum; quod demonstrare arduum non foret; si nobis hoc in præsenti propositum esset.

Et si autẽ ex sacris literis, ex Ecclesiastica traditione; ex Conciliorum, & Patrum autoritate, ac decretis; ex rationum denique momentis veritas Catholicæ fidei

ita ſit declarata, & explanata; vt vix quidquam amplius Hæreticorum tenebris diſpellendis deſiderari poſſe videatur: ſed quidquid in hoc genere operis, & operæ ſuſcipitur; id ex *ſuperabundanti* quodam modo ſuſcipiatur; lubet tamen hoc loco plerorumque capitum fidei noſtræ defenſionem quandam inſtituere, neſcio num tentatam aliis, ſaltem ex profeſſo; quia, quin obiter à variis tacta, & leui brachio perſtricta ſit, dubitare non poſſum. Eſt enim obuia; &, vt Tertullianus loquitur, tota *de compito, de triuio, de textrino.* Probabo enim, & demonſtrabo Catholicæ fidei veritatem ex ipſis communibus hominum, etiam à Catholica religione alienorum, notionibus, & vernaculæ linguæ noſtræ locutionibus, non abſtruſis, & reconditis, & in principum aulis duntaxat audiri ſolitis; ſed, ex vſitatiſsimis, quas cum lacte nutricis infantes ſugunt ac imbibunt.

Hîc ilia riſu diſtendent ſectarij, cachinnos tollent; &, En qualia argumenta fidei ſuæ confirmandæ adferunt *Papiſtæ*, exclamabunt. ſed exclament, quantum velint: Tritum eſt; *vox populi, vox Dei.* Præiuit nobis hanc viam dogmata recta probandi Tertullianus in elegantiſſimo libello, *de teſtimonio animæ*; quem imitari, ſæpius decreui; decretumque nunc exſequor. Eandem innuit præclarus Chriſti martyr *Edmundus Campianus* ratione ſua decima ad Academicos Angliæ, vbi omnis generis argumenta; inter cetera, etiam communes, & vulgares notiones, & ritus pro adſtruenda Catholica veritate adducit. Eandem nos docuêre priſci Philoſophi, & Mathematici, nam illis nihil eſt vſitatius; quàm difficillimarum rerum diſquiſitionem à trita & vulgari hominum exiſtimatione vocabulorumque vſurpatione auſpicari.

Iam

Iam verò quis nescit Mathematicorum κοινὰς ἐννοίας, *communes notiones*, quas ipsi toti suæ fabricæ, tanquam fundum, substernere consueuerunt? Nec est, qui contrà mutire audeat: aut, si audet, ludibrium fit, & pro deridiculo habetur. Nec immeritò.

Horum igitur omnium exemplo, persequamur & nos vulgaria, & omnibus quodammodò insita de capitibus orthodoxis sensa, & dicta; non, quòd aliis probationibus destituamur: nam nos non destitui, testantur tot eruditissimorum hominum fidei tuendæ causa, conscripta volumina: sed quia parest, vt & hæc defensionis ratio adhibeatur; quidquid contrà occlamaturi sint Hæretici. Et hoc probationis genus non indiget indole; *quæ, scholis formata, bibliothecis exercitata, Academiis & porticibus Atticis partam sapientiã ructet: est* enim *omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omnique editione vulgatius, Te,* ait Tertullianus, *simplicem, & rudem, & impolitam, & idioticam animam aduoco, & compello, qualem habent, qui te solam habent.*

Pari ratione, & ego vulgares & plebeios aduoco, & compello. *Imperitiã tuã mihi opus est,* inquit Tertullianus; (etiam mihi istorũ) *quoniam aliquantulæ peritiæ tuæ nemo credit. Ea expostulo, quæ tecum in hominem infers, quæ aut ex temetipsa, aut ex quocunque auctore sentire didicisti: quæ loqueris prius propemodum, quàm loqui noris.*

Pulcrè Aristides; *nec vulgus esse negligendum, nec eius opinionem contemnendam, cum in eo quoque quædam insit sagacitas, quæ veritatem contingat, ipse nos docuit Plato, & Hesiodus, multis antè seculis, in his versibus, quos decantant omnes, cecinit;*

Aristid. orat. Plat secunda.

Nulla perit velox populi quam lingua celebrat,
Fama semel: aliquod nimirum est numen & ipsa.

Galen. lib. 1. methodi.

Galenus morbi naturam, &, vt sic loquar, *substantiam* explicaturus; à communi apud omnes notione orditur, & necessariò ordiendum docet: *Qua igitur id methodo inueniemus? Videlicet, vt de notione ipsa prius conueniat, cùm sine hac propositæ rei substantiam inuenire non liceat. Ipsam verò notionem, quæ omnibus in confesso sit, sumendam diximus, &c. Quæ est igitur de ægrotando, omnibus hominibus cõfessa notio? Et de qua maxime subiecta re verbum hoc ægrotare enunciant? &c.* Et post nonnulla: *Ego sanè omnes homines ita video tum morbi, tum sanitatis nomen vsurpare: quin etiã eam, quam dixi, notionem omnes obseruare, non in his modò nominibus, sed etiam in omnibus, quæ cum his coniugata sunt tum nominibus, tum verbis, &c. Neque quisquam omnium aut aliis nominibus vtitur, aut de alia re enunciat, iam dictorum nominum quoduis, &c. Atque hoc saltem mihi per omnem diceptationem memoria teneri maximè velim, nominum interpretationem ex patria me consuetudine facturum*

Aristot. lib. 1. Metaph. c. 1.

Notionem & conditiones *sapientis* colligit ac deducit Aristoteles ex communibus notionibus, quibus homines de sapiente imbuti sunt. Et ex iisdem indagat in E-

Idem 6. Ethic.

thicis tum *sapientiæ* conceptum, & definitionem, tum etiam eius à prudentia, & reliquis habitibus intellectualibus discrimen: *sapientiam*, inquit, in *artibus illis tribuere consueuimus, qui absolutissimi in ipsis sunt: vnde Phidiam sapientem marmorarium, Polycletum statuarium sapientem dicimus, nihil aliud hîc sapientiæ nomine, quàm artis ipsius virtutem significantes.*

Ibid. Anaxagoram, & Thaletem, atque huiusmodi homines, cùm ignorare videntur, quæ sibi vtilia sunt, non prudentes, sed sapientes esse dicunt; ac superuacua quidem, & admiranda, & difficilia, & diuina cognoscere ipsos asserunt, sed inutilia tamen; propterea quod non humana bona inquirunt:

pruden-

prudentia autem circa humana bona versatur.

Idem alibi: *Prouerbia, quæ vulgò iactata sunt, testimonia sunt.* quia, Prouerbia sunt trita quædam, & ab omnibus concessa, omnibusque vsitata veriloquia. Hinc & testimonia.

Arist. 1. Rhet. Cap. 32.

Idem Aristot. alio loco; *sunt nonnulli, quibus, etiamsi alicuius rei scientiam exquisitißimam animo comprehensam teneamus, persuadere tamen facilè non est, si ductis ex ea argumentis vtamur. Nam oratio, quæ ex ipsa rei scientia ducitur, docendi ratio quadam est. Ipsi autem doceri non queunt: imò, necesse est, è communibus rationes, & argumenta ducamus; vt & in Topicis diximus de ratione agendi cum vulgo.*

1. Rhet. c. 3.

Præterea lib. 1. de Cælo, id, quod vulgò dicitur; *omne trinum, esse perfectum*; demonstrat verum esse tripliciter. I. ex Pythagoreorum disciplina, apud quos celebre erat, *omne*, & *omnia* tribus definita esse. quia, in ternione inuenitur ratio principij; medij & finis. II. Ex consuetudine gentiũ, quæ naturæ quasi legem secutæ, cùm rem diuinam facerent, tria adhibebant. Nam Chaldæi & Aethiopes Deũ venerabantur, *ture; auro, myrrha.* Græci; *igne, hostia, ara.* Alij; *ture, igne, & precatione.* Hinc illud; *numero Deus impare gaudet.* III. Ex communi vsu loquendi. Nam, cùm de duobus loquimur, ambo dicimus, vel vtrumque; cùm autem de tribus; tùm primò, *omne* efferimus, & accõmodamus. Loquitur Aristoteles de lingua Græca, cui hoc in more; vt & linguæ Latinæ; non enim dicimus: *Omnes duo*, sed *omnes tres* adfuerunt: quamuis germanica lingua *omne*, etiam *duobus* tribuere solet. alle beid haben gespilt. Quod fortasſis etiam in aliis linguis contingit.

Idem. 1 de cælo.

Ioannes Climacus: *Ipsa plebeia vox persuadeat, probrum & contumeliam, lauacrum esse vitiorum animæ.*

Climacus. Gradu VIII.

ſolent enim ſeculares, cùm aliquem in faciem ignominiis, & contumeliis reſperſerint, gloriantes ad alios dicere: laui illum. Vbi vides, Climacum, ex communi dicto vulgi probare; quòd probra, patienter tolerata, quando ingeruntur, malè commiſſa expient, expurgentque. ſimiles loquendi modos vſurpant Germani. Ich wil in waſchen/ich wil im Zwagen/ich wil in butzen: quibus omnibus emundatio & expurgatio ſignificatur. Et verè eſt: ſiquis vel iuſtas, vel iniuſtas reprehenſiones æquo animo accipiat.

Teſtatur S Auguſtinus vocabulum *ſalus*, lingua Punica, ſignificare *tria*: quid autem Latinis ſignificet, quis latinè doctus neſcit? indicatum igitur exiſtimat, à *tribus*, hoc eſt, à *Trinitate*, ſalutem noſtram proficiſci: & Iacobum Apoſtolum; hac ſua ſalutatione; *Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*; *ſalutis* nomine ipſam Trinitatem intellexiſſe. *Quo loco,* inquit S. Auguſtinus, *non arbitror prætereundum, quod pater Valerius animaduertit admirans. in quorundam ruſticanorum collocutione, cum alter alteri dixiſſet,* SALVS, *quæſiuit ab eo, qui & Latinè noſſet, & Punice, quid eſſet* SALVS: *reſponſum eſt; tria. Tum ille agnoſcens cum gaudio, ſalutem noſtram eſſe trinitatem, conuenientiam linguarum non fortuitò ſic ſonuiſſe arbitratus eſt, ſed occultiſſima diſpenſatione diuinæ prouidentiæ; vt cum latinè; nominatur,* SALVS, *à Punicis, intelligantur tria: &, cum Punici lingua ſua, tria nominant, Latinè, intelligatur, ſalus. Chananæa enim, hoc eſt, Punica mulier, de finibus Tyri, & Sydonis egreſſa, quæ in Euangelio Perſonam gentium gerit, ſalutem petebat filiæ ſuæ, cui reſponſum eſt à Domino; Non eſt bonum panem filiorum mittere canibus. Quod crimen obiectum illa non negans, tanquam de confeſſione peccatorum impetra*

S. Aug. in expoſit. Epiſt. Pauli inchoata lib. Vnico.

petra

petratura salutem filiæ, hoc est, noua vita sua; ita, inquit, Domine: Nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. tria enim mulieris lingua S A L V S *vocantur. Erat enim Chananæa. Vnde interogati rustici nostri, quid sint; Punicè respondentes, Chanani; corrupta scilicet, sicut in talibus solet, vna litera, quid aliud respondent, quàm Chananæi? Petens itaque salutem, Trinitatem petebat. quia, & Romana lingua, quæ in salutis nomine Trinitatem Punicè sonat, caput gentium inuenta est in aduentu Domini*. Hæc S. Augustinus.

Iam id, quod instituimus, aggredi tempus esset. Verùm, maioris claritatis causa; &, vt toti huic argumento maior concilietur auctoritas, prius dispiciendum est; quidnam Tertullianus aduersus Ethnicos ex communi Ethnicorum sentiendi & loquendi consuetudine demonstret.

CAPVT II.

Ex communibus loquendi formulis demonstrat Tertullianus Deum esse vnum bonum, benignum, & beneficum.

PRo Christianæ religionis veritate aduersus gentilium errores idololatricos multi ex Christianis Doctoribus olim Apologias edidêre, vt Quadratus, Aristides, Iustinus, Anaxagoras, Melito, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexãdrinus, Miltiades, Apollonius, Origenes, & ipsemet Tertullianus, in eoque argumento, summa & eruditione, & eloquentia versati sunt; adductis, ex ipsis etiam Ethnicorum monumentis, quæcunque

que veritati confirmandæ, & errori labefactando, & profligando conducere videbantur, vt ex eorum saltem libris, quos temporis longinquitas nobis reliquos fecit, manifestè apparet.

Quæ scribendi ratio, & auctoribus, & lectoribus admodum laboriosa accidit; quia, vt Tertullianus ait, *magna curiositate, & maiore longè memoria opus est ad studendum, si quis velit ex literis receptissimis quibuscunque Philosophorum, vel Poëtarum, vel quorumlibet doctrina sapientiæ secularis, magistrorum testimonia excerpere Christianæ veritatis, vt æmuli, persequutoresq; eius, de suo proprio instrumento, & erroris in se, & iniquitatis in nos rei reuincantur. Nonnulli quidem, quibus de pristina literatura, & curiositatis labor, & memoriæ tenor perseuerauit, ad eum modum opuscula penes nos condiderunt, commemorantes, & contestificantes in sugillationem, & originem, & traditionem, & sententiarum argumenta, per quæ recognosci possit, nihil nos aut nouum, aut portentosum suscepisse, de quo non etiam communes, & publicæ literæ ad suffragium nobis patrocinentur, &c.*

Tertull. lib. de Testi. Anima.

Sed ne suis quidem magistris fidem inclinauit humana de incredulitate duritia, sicubi in argumenta Christianæ defensionis impingunt: tunc vani Poëtæ, cum Deos humanis passionibus, & fabulis designant: tunc Philosophi duri, cum veritatis fores pulsant.

Iam igitur, inquit Tertullianus, *nihil nobis erit cum literis, & doctrina peruersæ felicitatis, cui in falso potius creditur, quàm in vero. Nouum testimonium aduoco &c. consiste in medio anima, &c. imperitia tua mihi opus est, &c. Nunc à te testimonium flagitant Christiani; ab extranea aduersus tuos, vt vel tibi erubescant, quod nos ob ea oderint, & irrideant, quæ te nunc consciam detineant.*

Post-

Postquam hæc, & similia Tertullianus præloquutus est, animamque non expolitam disciplinis, sed rudem, & quæ præter id, quod à natura habet, nihil habet, ad testimonij dictionem exciuit; ad rem ipsam propius accedit, & ex communi sensu, loquendique, & agendi apud Ethnicos vsitatissimo, & receptissimo more veritatem Christianæ doctrinæ ostendit, idque distinctè, & per capita.

Ac primum, ridebant Ethnici Christianos, quòd vnum Deum prædicarent, ac colerent; multitudinem verò Deorum irriderent, & repudiarent. *Non placemus,* inquit Tertullianus, *Dominum prædicantes hoc nomine vnico vnicum, à quo omnia, & sub quo vniuersa.* Quo argumento nostra adstruit Tertullianus; &, destruit Ethnica? Animam in medium prodire iubet; & quidem talem animam, qualem iam depinxit; indoctam, & incultam. *Dic testimonium, si ita scis;* ait Tertullianus. *Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi, ac foris audimus ita pronunciare:* QVOD DEVS DEDERIT. Et; SI DEVS VOLVERIT. *Ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cuius spectas voluntatem, simul & ceteros negas Deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam: nam, solùm Deum confirmas, quem tantum Deum nominas, vt & cùm illos interdum Deos appellas, de alieno, quasi pro mutuo, vsa videaris.*

Idem in Apologetico: *Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus,* (Deum vnum esse?) *quæ, licet carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumscripta, licet libidinibus, & concupiscentiis euigorata, licet falsis Diis exancillata, cùm tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur,* DEVM *nominat, hoc*

Tert. Apolog. cap. 17.

solo, quia proprie verus hic vnus DEVS, *bonus, & magnus.* Et, QVOD DEVS DEDERIT, *omnium vox est.*

S. Cyprian. lib. de idolor. Vanit.

Similia ad imitationem Magistri sui Tertulliani, S. Cyprianus, cuius hæc; *Nam & vulgus* (Ethnicum) *in multis Deum naturaliter confitetur, cùm mens, & anima sui auctoris, & Principis admonetur. Dici frequentes audimus: O Deus; &, Deus videt. Et, Deo commendo: &, Deus mihi reddet: &, quod vult Deus; &, si Deus dederit.*

Minutius in Octauio; *Audio vulgus, cùm ad cælum manus tendunt, nihil aliud, quàm* DEVM *dicunt; &,* DEVS MAGNVS EST. Et DEVS VERVS EST. Et, SI DEVS DEDERIT, *vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio?* plura huius generis Lactantius, quæ postea adferemus.

Lact. lib. 2. diuin. instit. cap. 1.

Nunc ad Tertullianum, qui in compellatione animæ persistens, ista subiungit: *De natura quoque Dei, quem prædicamus, nec te latet:* DEVS BONVS EST, DEVS BENEFACIT, *tua vox est, &c. Etiam quod penes Deum bonitatis, & benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinæ, & conuersationis sacramentũ,* BENEDICAT TE DEVS, *tam facilè pronuncias, quàm Christiano necesse est.*

CAPVT III

Ex iuramentis, & precibus Ethnicorum, demonstrat Lactantius vnum Deum contra Ethnicos.

ILLVSTRANDO Tertulliano paululum obscuriori lucem accēdere lubet ex Lactantio: qui, idem argumentum, eleganter, & dilucidè, vt solet, tractans, sic de Ethnicis scribit; *Et cum iu-*

rant,

rant, & cùm gratias agunt; non Iouem, aut Deos multos, sed Deum nominant: adeò ipsa veritas, cogente naturâ, etiam ab inuitis pectoribus erumpit.

Lact. lib. 2. instit. c. 1.

Addit tamen; Ethnicos hoc non facere in prosperis rebus: *nam tum maximè Deus ex memoria hominum elabitur, cũ beneficiis eius fruentes, honorẽ dare diuinæ indulgentiæ deberent. At verò, si qua necessitas grauis presserit; tunc Deum recordantur; si belli terror infremuerit; si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit; si sæua tempestas, si grando ingruerit, ad Deum confugiunt, à Deo petitur auxilium, Deus, vt subueniat, oratur. si quis in mari, vento sæuiente, iactatur; hunc inuocat. si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat. si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit: Deum solum obtestatur; & per eius diuinum, atque vnicum numen, hominum sibi misericordiam quærit. Nunquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. postquam metus deseruit, & pericula recesserunt, tum verò alacres ad Deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronãt. Deo autẽ, quẽ in ipsa necessitate implorauerant, ne verbo quidẽ gratias agunt. Adeò ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria verò, vt vitia, sic impietas aduersus Deum nascitur. Qua nam istud ex causa fieri putemus? nisi esse aliquam peruersam potestatem, quæ veritatis semper sit inimica, quæ humanis erroribus gaudeat, cui vnicum, & perpetuum sit opus, offundere tenebras, & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne denique in cælum adspiciant, &c.*

Hæc Lactantius; quæ non ita accipienda, quasi extra necessitatis aleam DEVM simpliciter nunquam nominarint; contrarium enim liquet ex Tertulliano, Minucio, S Cypriano, & aliis; sed quod potissimùm, calamitatibus pressi, ad Deum confugerint; hoc ipso indican-

tes, à quo verè ærumnis medicina ſit expetenda, & exſpectanda.

Quorum mos in memoriam mihi reuocat quorundam hæreticorum morem; qui, licet rebus ſecundis ſignaculum Crucis, & inuocationem Cælitum ſpernant, & rideant; ſpectris tamen, vel fulmine, vel alterius periculi obiectu territi, ad Crucis ſignum, & ad inuocationem alicuius Cælitis, & Deiparæ Virginis, è veſtigio ſeſe conuertunt. Multa exſtant huius rei exempla.

Memorabile illud, quod non procul hinc ante aliquot annos accidit; notum omnibus propemodum Ingolſtadienſibus; & in rhythmos Germanicos relatum de Prædicante, qui laqueo vitam finire decreuerat. Et iam penſilis erat, cùm vxor ſuperueniens funeſtum funem præcidit, excitatis magno clamore vicinis, vt semineci marito ſuppetiatum accurrerent. Accurrerunt; ſed ſimul accurrit alius ex Orco, qui multis nominibus ſibi deuotum, debitumque caput abſportaret. Et abſportaſſet; niſi ruſticus quidam Lutherana fide natu ſuperior, Crucis armaturam obieciſſet, hocque inuicto clypeo, cacodæmonem in fugam conieciſſet

CAPVT IV.

Ex communi Ethnicorum ſenſu, & loquendi ratione demonſtrat Tertullianus Deum eſſe inſpectorem, iudicem, & vindicem omnium.

SVNT, *qui, etſi Deum non negent*, inquit Tertullianus *diſpectorem planè, & arbitrum, & iudicem non putent: in quo vtique nos maximè reiiciunt, qui*

qui ad istam disciplinam metu prædicati iudicij transilamus.

Quos refutat Tertullianus ex naturali timore animæ erga Deum, quam diuinam, & à Deo collatam esse, isti concedebant. *Si enim anima aut diuina, aut à Deo data est, sine dubio datorem suum nouit. Et, si nouit, vtique & timet; vt tantum postremò auctorem. An non timet, quem magis propicium velit, quàm iratum? Quomodo timetur, qui nescit offendi? Quid timetur, nisi ira? Vnde ira, nisi ex animaduersione? Vnde animaduersio, nisi de Dei iudicio? Vnde iudicium, nisi de potestate? Cuius potestas summa, nisi Dei solius? Hinc ergò tibi anima de conscientia suppetit domi, ac foris, nullo irridente, vel prohibente prædicare;* DEVS VIDET OMNIA. Et, DEO COMMENDO. Et, DEVS REDDET: Et, DEVS INTER NOS IVDICABIT.

Iudicem quoque contestatur illum, inquit in Apologetico Tertullianus, DEVS VIDET: Et, DEO COMMENDO; Et, DEVS MIHI REDDET. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Vnde hoc tibi non Christianæ?* Et; *pronuncians hæc, non ad Capitolium, sed ad cælum respicit. nouit enim sedem Dei viui, ab illo, & inde descendit.*

Tertull. in Apologet.

Ipsum Deum, ait àlibi Tertullianus, *secundum naturam prius nouimus; Deum appellantes Deorum, bonum præsumentes, & iudicem inuocantes.*

Idem de coron. milit. cap. 6.

Addit Tertullianus: animæ ita Dei iudicium insitum; vt plerunque in ipsis Deorum templis, & cùm sacris illis profanis homines operantur, Deum iudicem testentur. *Id plerunque anima facit,* (animæ vocabulo totum hominẽ designans) *& vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata*; & *Deæ Isidi linteata. In ipsis denique tẽplis Deũ iudicẽ imploras, sub Aesculapio stans; Iunonẽ in ære exorans, Minerua calceans furuis galeã formis, & neminẽ de præ-*

sentibus diis contestaris; in tuo foro aliunde iudicem appellas, in tuis templis alium Deum pateris. O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem efficit Christianorum. Nihil adhuc de Deo discens (anima) *Deum nominat*, inquit Tertullianus, *Nihil adhuc de iudicio eius admittens, Deo commendare se dicit.*

Tertull. de carne Christi. c. 12.

CAPVT. V.

Ex communibus Ethnicorum loquendi, & agendi modis, ostendit Tertullianus immortalitatem animæ, pœnas post mortem pro malefactis; præmia, pro benefactis; & demum ipsam corporum resurrectionem.

A*FFIRMAMVS nos*, inquit Tertullianus, *manere animam post vitæ dispunctionem, & exspectare diem iudicij, proq; meritis, aut cruciatui destinari, aut refrigerio, vtrique sempiterno. Quæ opinio Christiana propter suum nomen vanitati & stupori, &, vt dicitur, præsumptioni deputatur. sed non erubescimus, dum tecum erit* (animam alloquitur) *nostra præsumptio* (communis) *quæ nihil magis audiens, quàm spem nullam esse post mortem, & benè, & malè defuncto imprecaris.* Cùm *alicuius defuncti recordaris, misellum vocas eum, non vtique vt de bono vitæ ereptum, sed vt pœnæ, & iudicio iam adscriptum*, &c. *Quid, quod, vt sentienti maledicis, cuius memoriam cum alicuius offensæ morsu facis? Terram grauem imprecaris, & cineri penes inferos tormentum: atque ex bona parte, cui gratiam debes, ossibus, & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt benè requiescat apud inferos cupis. Si nihil passionis est tibi post mortem, si nulla sensus perseuerantia, si denique nihil es ipsa,*

Tertull. lib. de carne Christi cap. 12.

ipsa, vbi corpus reliquisti, cur mentiris in te, quasi aliquid vltrà pati possis? Probat item immortalitatem animæ ex timore mortis à natura insito. *Cur in totum times mortem, si nihil est tibi timendum post mortem, quâ nec experiendum, post mortem? Nam, etsi dicere potes, ideo mortem timeri, non vt aliquid minantem, sed vt commodum vitæ amputantem; at quin, cùm & incommoda longè plura vitæ pariter excedas, & lucratione grauioris partis, metum diluis, nec iam timenda est amissio bonorum, quæ altero bono, id est, incommodorum pace, pensatur. Non est timendum, quod nos liberat ab omni timendo. Si times vita decedere, quia optimam nosti; certè mortem timere non debes, quam malam nescis. At cùm times, scis malam. Non scires autem malam; quia nec timeres, si non scires aliquid esse post mortem, quod eam malam faciat, vt timeas.*

Tertio eandem immortalitatem probat ex appetitu famæ & æternitatis post mortem. Nam *omnibus ferè ingenita est famæ post mortem cupido. Longum est retexere Curtios, & Regulos, vel Græcos viros, quorum innumera elogia sunt contemptæ mortis propter postumam famam. Quis non hodie, memoriæ post mortem frequentandæ ita studet, vt vel literaturæ operib⁹, vel simplici laude, vel ipsorum sepulcrorũ ambitione nomen suũ seruet? Vnde anima hodie affectaret aliquid, quod velit post mortem, & tantopere præpararet, quo sit vsura post obitum, si nihil de postero sciret? sed forsitan de sensu post excessum tui certiores sumus, quàm de resurrectione quandoque, cuius nos præsumptores denotamur. Atquin hoc quoque ab anima prædicatur. Nam si de aliquo iam pridem defuncto, tanquam viuo, quis requirat, præ manu occurrit dicere; abiit iam, & reuerti debet.*

Tanta vis fuit veritatis de Resurrectione, & immortalitate animæ, inquit Pamelius, Tertulliani Scholiastes,

vt ea

vt ea ex hominum animis ne in tantis quidem vanarum opinionum tenebris, à maioribus, veluti per manus tradita, potuerit euelli; sed trito, vsitatoque prouerbio sit frequentata de iis, qui iam dudum essent defuncti: quasi animis præciperent, & anticiparent corporum Resurrectionem, siue animorum, qui excesserant, ad sua corpora, reditum. Hæc ille

Est igitur & de communibus sensibus sapere in Dei rebus, vt præclarè alicubi dixit Tertullianus; *sed in testimonium veri, non in adiutorium falsi, quod sit secundum diuinam, non contra diuinam dispositionem. Quædam enim & natura nota sunt, vt immortalitas animæ penes plures; vt Deus noster, penes omnes. Vtar ergò & sententia Platonis alicuius pronunciantis; omnis anima immortalis. Vtar & conscientia populi contestantis, Deum Deorum; vtar & reliquis communibus sensibus, qui Deum iudicem prædicant; Deus videt; &, Deo commendo. At, cum aiunt; Mortuum, quod mortuum: &, viue, dum viuis. Et, post mortem omnia finiuntur; etiam ipsa; tunc meminero, & cor vulgi cinerem à Deo deputatum, & ipsam sapientiam seculi stultitiam pronunciatam.*

Tertull. de resurr. carnis c. 3.

CAPVT VI.

Quanti argumenta, ex naturali animæ testimonio desumpta, facienda sint. Perstringitur obiter hæreticorum impudentia.

HAEC *testimonia animæ*, inquit Tertullianus, *quanto vera, tanto simplicia; quanto simplicia, tãto vulgaria; quanto vulgaria, tanto cõmunia, quãto cõmunia, tãto naturalia: quanto naturalia, tãto diuina. Non putẽ cuiquam friuolum, & frigidũ videri posse,*

si co-

ſi recogitet naturæ maieſtatem, ex qua cenſetur auctoritas animæ. Quantum dederis magiſtræ, tantum adiudicabis diſcipulæ. Magiſtra natura; anima, diſcipula. quidquid aut illa edocuit, aut iſta perdidicit, à Deo traditum eſt, magiſtro ſcilicet ipſius magiſtræ. Quid anima poßit de principali inſtitutore præſumere; in te eſt æſtimare de ea, quæ in te eſt. ſenti illam, quæ vt ſentias, efficit: recogita in præſagiis vatem, in ominibus augurem: in euentibus proſpicem. Mirum, ſi à Deo data homini nouit diuinare. Tam mirum, ſi eum, à quo data eſt, nouit. Etiam circumuenta ab aduerſario meminit ſui Auctoris & bonitatis, & decreti eius, & exitus ſui, & aduerſarij ipſius. ſic mirum, ſi à Deo data, eadem canit, quæ Deus ſuis dedit noſſe.

Oſtendit deinceps Tertullianus eius modi, vt vocat, *eruptiones, &* teſtimonia, *animæ, eſſe doctrinam naturæ, & cõgenitæ, & ingenitæ conſcientiæ tacitæ commiſſa:* neque à literis & eruditione proficiſci; ſed his antiquiora cenſeri debere; eumque, qui Chriſtianam religionem repudiat; ad animæ tribunal ablegat. *Cùm times fieri Chriſtianus, animam conueni. Cur aliũ colens, Deum nominat? Cur alibi ſeruit, alibi vindicem cõuenit? Cur de mortuis iudicat? Cur verba habet Chriſtianorum, quos ne auditos, viſosq́; vult? Cur aut nobis dedit ea verba, aut accepit à nobis? Cur aut docuit, aut didicit? ſuſpectam habe conuenientiam prædicationis in tanta diſconuenientia conuerſationis, &c. Deus vbique, & bonitas Dei vbique, &c. Iudicij diuini inuocatio vbique, mors vbique, & conſcientia mortis vbique, & teſtimonium vbique. Omnis anima ſuo iure proclamat, quæ nobis ne mutire conceditur. Meritò igitur omnis anima rea, & teſtis eſt; in tantum, & rea erroris, in quantum teſtis veritatis: &, ſtabit ante aulas Dei die iudicij, nihil habens dicere: Deum prædicabas, & non re-*

Lib. de Teſtim. Animæ.

quirebas: iudicium Dei appellabas, nec esse credebas; inferna supplicia præsumebas, & non præcauebas: Christianum nomen sapiebas, & Christianum persequebaris. Hæc Tertullianus. Per quæ obiter castiganda est hæreticorum petulantia, & impudentia; quibus perpetuò illud in ore: *Ethnici hoc vel illud senserunt, dixerunt, fecerunt, ergò nefas est ita sentire, loqui, facere:* cùm Ethnici in non paucis capitibus ab ipsa natura, vel ex libris nostris, vel aliunde edocti, ita senserint, dixerint, egerint. Nam si hæretici argumentum hoc probum legitimumque arbitrantur: negent, esse vnum Deum; negent, *Deum esse beneficum*; negent, *esse iudicem & vindicem omnium*: negent, *animam esse immortalem*: negent, *præmia & poenas, post mortem*: negent, *resurrectionem corporum*: quia hæc omnia Ethnici solo lumine naturæ collustrati, aliquando liberis vocibus confessi sunt.

CAPVT. VII.

Accessus ad institutum. Demonstrantur dogmata quædam de Eucharistia ex communibus vernaculæ linguæ loquendi modis.

OSTENDIMVS hucusque, quem ducem secuti hoc argumentum tractandum suscepimus. Accedamus nunc propius ad rem: deque diuinis dogmatibus linguæ nostræ loquendi modos, plerosque ipsis etiam hæreticis vsitatos, certè omnibus sectariis longè vetustiores, tanquam Catholicæ veritatis testes, & indices, omni fuco, & dolo carentes proferamus. Ordiamur à sacramentis, & quidem ab omnium augustissimo, nimirum ab Eucharistia.

Quæ-

Quæstio eſt inter orthodoxos, & ſectarios, *vtrum per conſecrationem conuertatur panis & vinum in corpus, & ſanguinem Domini.* Illi, affirmant. Iſti, pertinaciſsimè negant. ſeponamus nunc argumenta plurima, optima, efficaciſsima, quibus Catholici Doctores veritatem demonſtrant. Nobis, cum Tertulliano, ex *compito*, & *triuio*, hoc eſt, ex vulgari ipſius vulgi, etiam hæretici, conſuetudine; probationes depromere placet.

Conſecrationem, antiquo more, vocant Germani, **die Wandlung**. Ipſum *conſecrare*, **Wandlen**. Quæ vox ſignificantiſsimè *tranſſubſtantiationem* exprimit. Eſt enim perinde, ac ſi quis dicat, *migrationem*, ſeu, *tranſmigrationem*; ſeu, vt ita loquar, *ambulationem*, vnius videlicet *ſubſtantiæ*, in locum alterius, ex vi actionis, quam ſacerdos conſecrans exercet. ipſe enim eſt, qui ſubſtantiam corporis Chriſti ſubſtantiæ panis ſub iiſdem accidentibus ſubſtituit: **der Prieſter wandlet**: quod Latinè melius, & breuius non exprimas, quàm ſi dicas; *ſacerdos tranſſubſtantiat*, ſeu *tranſmutat*, panem ſcilicet in corpus, & vinum, in ſanguinem Chriſti.

Hinc tritiſsima illa Germanis; **vnder der Wandlung / Wandelkertz**, *cereus*, qui conſecrationis tempore accenditur: **Wandelſtang**, *pertica* cui cereus imponitur: **Wandelglöckle**, *campanula*, quæ multis locis, tempore conſecrationis, & eleuationis pulſatur; vt & abſentibus conſtet, quid illo tempore in templo geratur: quaſi dicas, *cereus*: *pertica*, *campanula tranſmutationis*, *ſeu transſubſtantiationis*. Hinc pius ille multorum mos; qui, audito campanæ illius ſigno, vbi vbi demum verſentur, preces piè concipiunt, Chriſto que iam ſub ſpeciebus panis, & vini, per *tranſſubſtantiationem* (**durch die Wandlung**) præſenti, ſeſe commendant.

Isti certè, & similes loquendi modi, nec Lutherum, nec Caluinum *sonant*; sed orthodoxam doctrinam de *transsubstantiatione* denotant: nec in scholis, vel libris discuntur, sed ex ineunte æuo omnium animis ingenerantur: nec nouitij sunt, & pronuper nati, sed cum ipsa Christiana doctrina in vernaculam linguam inuecti; aut, si sectarij non ita pridem excogitatos contendunt; edant primam originem; nominent primum auctorem: sed constanter, nec alius, *prinum*, alius, *schinum* occinat.

De multis Latinæ, Græcæq; linguæ vocabulis cõstat: quis cuderit; inter cetera de hoc, ἐντελέχεια, ἐνδελέχεια. si consimili ratione credunt aduersarij, se ad primum institutorem nostrarum vocum peruenire posse; ad rem conferant, quod possunt: nobisque successum renuntient.

Corpus, & sanguinem Christi *realiter*, & *substantialiter* esse in Eucharistia, firmissimè credit Catholica Ecclesia. Abnuunt Caluinistæ: non enim nisi nuda panis, & vini symbola agnoscunt. Annuunt Lutherani; sed sine *transsubstantiatione* (quos, vt jam vidimus, vox, die Wandlung, pariter cum Caluinistis redarguit) negant item Christum in Eucharistia colendum, aut adorandum. Videamus, num & isti errores ex *communibus sensibus*, vt Tertullianus appellat, & notionibus, refellantur. Audias igitur passim, etiam illiteratissimos, hunc in modum de Eucharistia loquentes.

I. **Ich wil zu vnserm Herrn gehen.** *Ibo ad Dominum nostrum.* si communicans nil nisi panem, & vinum accipit; quomodo vera est hæc locutio? Quomodò *it ad Dominum nostrum*? An Dominus noster, *panis*, *& vinum*? Profectò noster non est. Viderint Caluiniani, num huic Domino

mino soli seruiant. Ad alium ergò *Dominum* fideles Eucharistiam sumere volentes, accedere expetunt: & ad alium se accedere hac loquendi formula palàm significant. Quis ille? nisi, qui accepto pane, dixit; *Hoc est corpus meum:* Et, accepto calice; *Hic est sanguis meus.*

II. Ich wil mich speisen lassen. Ad verbum; *faciam me cibari.* Si Christus non est sub speciebus panis & vini; longè, opinor, aptius & solidius cibabuntur fideles domi suæ, in culina, & cella vinaria, quàm, in delubro Caluiniano; vbi non tantus panis fermentati bolus, & vini nō consecrati haustus offertur, quantum quis domi suæ in culina vel cella sumere potest? Dico panis & vini non consecrati; quia ipsimet magnis clamoribus contendunt verba, quæ à Ministris super panem & vinum pronunciantur, non esse *consecratoria*, sed, *concionatoria.* si non sunt *consecratoria* : non consecrantur ergò per illa panis & vinum. Vulgari igitur tantùm pane, & vino cibantur, quicunque hoc pane & vino cibantur; quod, vt dicebam, longè efficacius, famique, & siti coërcendæ commodius intra priuatos parietes fieri potest, quàm in fano Caluinistico. Nec est, quod quis dicat, fideles cibari per gratiam, panis, & vini huius sumptione mentibus infundi consuetam: quia notum est, Caluinistas *gratiam infusam* fabulis annumerare; ipsisque etiam symbolis omnem vim gratiæ conferendæ adimere; vt & ipsi symbolorum vsui.

Nec illud prætereundum, communi illa formula: Ich wil mich speisen lassen, aliud quoque insinuari Caluinianis placitis non satis consentaneum: nempe, cibum hunc cælestem non ab ipso sumente, sed à Ministro ori sumentis applicandum, & inserendum esse. Hinc non dicunt, *cibabo me*; sed, *faciam me cibari:* alteri-

 us ni-

us nimirum operâ & ministerio; qui cibum hunc mihi, tanquam paruulo, in os inserat. At Caluinistæ desectum de tota massa panis fermentati frustum, cuiuis in manus tradunt; vt arbitratu suo faucibus ingerat, & deuoret.

Huius moris has reddunt rationes Caluinistæ Embdenses. I. Quia Christus non dixit; *Porrige os*; sed; *accipite, & comedite; & prius illud hominum commentum est.*

lib. de cœna, & ceremoniis eius

II. *Quia in veteri Ecclesia cœna in manus fidelium tradita est*

III. *Quia indecorum, & deforme est adultis cibum & potum in os inserere, tanquam infantibus vel ægrotis.*

IV. *Quia manus æquè à Christo sanctificata est, ac os.*

V. *Quia fideles Laici æquè mundati & loti sunt sanguine Christi, ac ministri Ecclesiæ.*

VI. *Vt populo eximatur error & superstitio de sacerdotali ordine.*

VII. *Quia sumptio sacramenti à Christo præcepta per manum facta, commonefactio quædam est, Christum, vniuscuiusque esse proprium.*

Ad has omnes rationes, quasi in antecessum, respondeo, non esse mirum, si Caluinistæ Laicis suum panem, & poculum in manus tradant; vt ea ipsimet faucibus applicent, cùm enim quiuis domi suæ & alibi, panem, vinumque, dum valet, ori suo admoueat; absq; alterius ministerio, cur in hac cœna, vbi præter panem, & vinum, nihil; Prædicantis opera vteretur?

Ad primam rationem respondeo, si Caluinistis imponeretur onus probandi ex verbis cœnæ, Apostolos sumpsisse Eucharistiam eôdem modo, quo ipsi sumendam præscribunt, forsan in eruendis ex Euangelistarum relatione argumentis sudarent, & sudando parum profice

ficerent. Nam illa; *accipite, & comedite*, æquè vera sunt, si cui Eucharistia ab alio in os inferatur, ac cum ipsemet infert, & inserit. sed esto; sumpserint Apostoli propriis manibus Eucharistiam; num ideo idem licebit Caluinistis? Num tam puras, sacrasque manus sese habere credunt; quàm Apostoli, tunc à Christo sacerdotes, & legitimi Eucharistiæ conficiendæ, & dispensandæ instituti ministri habuerunt?

Ad secundam; fatemur id olim factum. sed num propterea, & hodie faciendum? Maior olim erat sanctitas, maior reuerentia, maior religio. Nunc postquam charitas in multorum cordibus refrixit, insolens videri non debet: si etiam aliqua restrictio facta est; maiorisq; venerationis causa, nulli, nisi ad id deputato ministro, conceditur, vt Eucharistiam tangat. Multa dies reformat in melius, inter quæ meritò etiam istud numeres.

Ad tertiam respondeo; nos omnes, ad cælestem illam mensam, tanquam paruulos, vel ægros accedere: eamque ob causam consentaneum esse; vt velut paruuli, vel ægri ab alio pascamur. Deinde, quæ nam indecentia in hoc, si communicans, ob reuerentiam tanto Mysterio debitam, ipse Eucharistiam manibus non contingat; sed sibi in os à legitimo ministro imponi sinat? Non minor sanè reuerentia huic sacramento debetur, ac olim Arcæ foederis: quam cum Oza tetigisset, ac tenuisset; licet iustam tangendi & tenendi habere videretur caussam, bobus Arcæ baiulis, calcitrantibus, pœnas tamen dedit; *& mortuus est ibi iuxta arcam Dei.* *2. Reg. 6.*

Ad quartam respondeo, Eucharistiam esse cibum; Quocirca necessariò sumi debet ore, & tangi ab ore. Vt autem tangatur etiam manibus, non requiritur necessariò.

ſariò. Hinc, ab hoc tactu, reuerentiæ gratia, abſtinere poſſumus; licet non maior ſit in ore, quàm in manu ſanctificatio, loquendo de Laicis. Nam, de ſacerdotibus alia eſt ratio: quorum manus ſacra vnctione inunctæ, & ad Euchariſtiam tractandam, & tangendam conſecratæ, & deſtinatæ ſunt.

Ad quintam reſpondeo; periculum eſſe, ne Caluiniſtæ nimis multum, etiam contra ſe ipſos, probent. Si enim ideo Laici Euchariſtiam æquè tangere poſſunt, ac miniſtri Eccleſiæ; quia æquè ſanguine Chriſti mundati ſunt, & loti; poterunt etiam æquè, ac Miniſtri Eccleſiæ Euchariſtiam conficere, & diſpenſare. Poterit igitur æquè ſutor, ſartor, textor Caluinianus, cœnam Caluiniſticam conficere, & diſpenſare, ac Prædicans Caluinianus, Quod neſcio, num Caluiniſtæ conceſſuri ſint: tametſi id fundamentis Lutheranæ doctrinæ admodum ſit conforme.

Sexta ratio videtur Caluiniſtas potiſsimum impuliſſe, vt hunc ſuum ritum introducerent; & eum, qui antea obtinuerat, abolerent. In omnibus enim inſtitutis hoc potiſsimum ſpectant vt ſuos quàm longiſsimè à Catholicæ Eccleſiæ dogmatis, & ceremoniis abducant.

Ad ſeptimam; non video, quomodo Euchariſtia propriis manibus ſumpta magis indicet, Chriſtum eſſe vniuſcuiuſque proprium; quàm, ſi ſumatur manibus Miniſtri. An non æquè tuus eſt; quem ex manibus Miniſtri æquè, ac ex tuis percipis & manducas? Neque hanc ſuam ceremoniam Caluiniſtæ liberam relinquunt, ſed, vt prorſus neceſſariam, omnibus obtrudunt; niſi quis morbo impeditus non ſuis, ſed alienis manibus cœnam ſumere cogeretur. Hunc enim priuilegio extraordinario donant: cùm tamen, vt ſupra dictum, morem iſtum

ſatis

ſatis apertè ex ſcriptura euincere non queant. Et, vt poſſent; non poſſent tamen demonſtrare à Chriſto fuiſſe præceptum; & ipſimet Caluiniſtæ ſcribunt: *Chriſtianos non eſſe obligatos in cultu diuino ad certum tempus, locum, ritumq́; ſedendi, vel ſtandi, & primaria Chriſti verba. Hoc facite; pertinere ad id, quod in illa actione principale eſt; non ad tempus, loca, & id genus alias circumſtantias*; inter quas, etiam vna; mos propriis manibus ſumendi Euchariſtiam: Vix enim arbitror Caluiniſtas hoſce tam fore ſeueros cenſores, vt cœnam illam Caluinianam abnuant eſſe veram ex ſolo huius circumſtantiæ defectu.

Sed iam reuertatur oratio ad communes loquendi formulas de Euchariſtiæ myſterio. ſolenne enim eſt, & vſitatiſsimum dicere.

CAPVT VIII

Plura de Sacramento altaris ex communi modo, & loquendi conſuetudine demonſtrata, & confirmata.

I. **Jch wil mich verſehen laſſen.** Ad verbum; *Faciam, vel curabo me prouideri.* Cui conuenienter, qui alienis vocibus Germanicam linguam inquinant, dicunt; **Er hat ſich prouidirn laſſen. Man hat in prouidirt.** Magna certè *prouiſio*; magnum adiumentum; ingens ſubſidium ad omnes tentationes & moleſtias ſuperandas, & ad augendum ſpirituale robur; ſi in Euchariſtia nec Chriſtus, nec quidquam gratiæ, ſed ſolus, nudusq́ue panis, ſolumq́ue, & nudum vinum percipitur. Hoc *prouiſionis* genere longè melius prouidebit cuiuis quiuis caupo in caupona, quàm Prædicans in Eccleſia. Aliam igitur *prouiſionem*, communis hic loquendi modus nobis indi-

cat; aliam, vt sic dicam, ad spiritale certamen instructionem, & corroborationem insinuat; illam scilicet, qua fideles, per preciosi corporis, & sanguinis Domini perceptionem, vberisque significantis gratiæ infusionem donantur; & ad prælia Domini viriliter prælianda instruuntur. Mitto dicere, hac quoque formula Caluinianum illum morem damnari, de quo antea; significat enim *prouisionem* istam ab alio fieri debere.

II. Ich wil zu vnsers Herrn Disch gehn. *Ibo ad Domini nostri mensam.* si corpus Christi non est in hac mensa? cur, quæso, κατ' ἐξοχὴν, vocatur *mensa Domini*? Quid peculiare habet, quod non habebat, aut saltem habere posit quæuis Christianorũ mensa, si non habet corpus, & sanguinem Domini? Certè, quæuis Christianorũ mensa, debet esse mensa Domini, non mensa Diaboli. Quæuis etiam Christianorum mensa referri debet ad gloriam, & honorem Domini, ex præscripto Apostoli; *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis; omnia in gloriam Dei facite.* 1. Cor. 10.

Forsan ideo mensam Domini appellari dicent, quod sit symbolum & *memoriale* pasionis, & mortis Domini. At quæuis mensa poterit huiusmodi symbolum esse. Cur enim non posset quis manducando, & bibendo reuocare sibi, & aliis in memoriam, pasionem, & mortem Domini? Cur integra turba, etiam in quouis profano triclinio, mensæ accumbere non posset; & accubatione illa epulari, tanquam signo Dominicæ pasionis memoriam celebrare?

Subest ergò alia causa, cur mẽsa illa per antonomasiã nominetur mensa Domini; videlicet, quia continet aliquid, quod nulla mensa priuata continere potest; corpus videlicet, & sanguinem Domini. Nam, quidquid præ-

præter hoc, demonſtrauerint Caluiniſtæ; id totum quoque in priuatas menſas competere poſſe oſtendemus: etiam abſque prædicantis interuentu, & miniſterio. Nam, quod aiunt; *in vſu panis, & vini ſimul etiam manducari & bibi corpus, & ſanguinem Domini; ſed per fidem, & ſpiritaliter; ita vt actus fidei, corpus, & ſanguinem Chriſti apprehendat; ſibique per modum cibi, & potus applicet; id nihil eſt.* Nam, hoc facere licebit in vſu, & ſumptione cuiusque panis, & vini. Quis enim vetabit, quò minus quis, dum quemcunque panem comedit, vel quodcunque vinum bibit, actum fidei exerceat; eoque nixus, ad Chriſtum in cælum aſcendat; eumque apprehendat; & ſibi quodammodo, tanquam cibum, & potum ſpiritualiter vniat?

III. **Jch wil zum Sacrament gehen**: *Accedam ad Sacramentum.* Crebrò: **Jch wil zum heligen Sacrament gehen.** *Accedam ad ſanctum Sacramentum.* Qui loquendi modus, confirmat, primò; Euchariſtiam eſſe Sacramentum: quod, ne ipſi quidem Nouatores inficiantur verbis quidem; licet, ſi rem ſpectes; Euchariſtiam planè ex numero Sacramentorum eximant. Secundò; redarguit ſectarios; qui. ſi vllo pacto licuiſſet, libentiſsimè *Sacramenti* vocabulum aboleuiſſent, & ex lingua non modò Germanica, ſed & Latina, exterminaſſent: paſsim *ſigna* & ſymbola in locum Sacramenti ſubſtituentes. Hinc Philippus, *capite de Sacramentis*, in ſuis locis Argentorati anno 1523. editis; inſcripſit, *De ſignis.* Et toto capitis de curſu, *ſigna* crepat. Et tandem hæc effutit; *Quæ alij Sacramenta, nos ſigna appellamus*, &c. *Quod ſi ſigni nomen diſplicet, σφραγῖδας appelles.* ſcilicet, propter imperitum iſtum ſectarium, relegabitur vox *Sacramenti* ex Germanica lingua. Et in poſterum Chriſtiani non dicent; **Jch wil zu**

Nec dicent amplius: es sind siben Sacrament *sed* siben Zaichen.

dem Sacrament gehen. sed; ich wil zu dem Zeichen/ oder zu dẽ Sigill gehen. Pulchrè. Vanitatem istorum redarguunt non modò scholæ; sed & indoctorũ, imò balbutientis ætatis rudes linguæ; quibus hæc vox cum ceteris vernaculis absque vllo Magistro, vltrò quasi innascitur.

Tertiò, illa ipsa formula loquendi innuit, in Eucharistia aliquid esse, quod non sit in vulgari pane & vino. Nam si Sacramentum est; &, vt intensionis gratia, appositum epithetum declarat, ein heiliges Sacrament, sanctum Sacramentum; necesse est; vt sanctæ rei sit peculiare signum. Omne enim Sacramentum rei sacræ signum est. sed si ideo tantum est signum rei sacræ, quia est signũ passionis, & mortis Dominicæ; vel etiam cœnæ nouissimæ, & beneuolentiæ, & charitatis diuinæ erga nos; sequitur, non magis esse signum sacrum, quàm imagines cœnæ vltimæ, flagellationis, crucifixionis, vel sepulturæ Christi Domini; Omnes enim istæ imagines sunt signũ cœnæ nouissimæ, passionis, & mortis Dominicæ; & diuinæ erga genus humanum beneuolentiæ. At quis hoc ausit dicere, & huiusmodi imagines cum Eucharistia æquare? Quæ res argumento nobis esse debet, Eucharistiam longè excellentiore sensu dici vulgari loquentium consuetudine, *sanctum sacramentum*; hoc est, sanctum sacræ rei signum, quàm velint sectarij. Hoc ipso enim orationis genere insinuatur nobis fons omnis sanctitatis præsens sub speciebus panis, & vini; non sine sanctificantis gratiæ dono, omnibus hoc sacramentum dignè sumentibus concedi consueto.

Adiiciamus & hoc; Vocant Germani hoc ipsum Sacramentum, ein groß Geheimnuß, *magnum mysterium.* Quomodo hoc, si nil nisi panis, & vinum adest? an adeò

ma-

magnum myſterium, vt panis, & vinum ſit ſignum ex inſtituto paſſionis, & mortis Dominicæ? *Mihi videtur*, inquit Lutherus in lib. de Cæna ſub finem, *non adeò rem arduam, & difficilem intellectu eſſe, quomodo ſimplex panis, & vinum ſint in menſa. Id enim etiam puer, aut morio quiſpiam intelligat, & ego indies id in menſa mea conſpicio.*

IV. **Den Fronleichnam empfangen**: &, cum adiectione; **vnſers Herren Fronleichnam**: hoc eſt, *Verum, & ſanctum Corpus Domini noſtri ſumere.* Nam, illud, **Fron**, antiquo Germanorũ idiomate, *ſanctum* eſt, ac *verum*. Hinc ipſe Lutherus feſtum Corporis Chriſti, quod alij vocant, **den Fronleichnam**, vocat, **den Warleichnam. Am tag deß heiligen Warleichnams Chriſti**, inquit Lutherus; qui hunc titulum præpoſuit concioni, quam habuit in *feſto Corporis Chriſti*.

Luth. in concionibus ſelect. anno 1527 Vuiteberg. editis.

Multa vſurpant Germani vocabula ex illo **Frõ** compoſita. Vt, **Fronfaſt**: ſic enim *angarias*, ſeu quatuor *tempora* nominant: **Fronaltar**, *altare ſummum, ac primarium*, & quodammodo ceteris ſacratius. **Fronambt**, *ſummum ſacrum*: & ſacerdos ad illud deputatus, hodie etiam Ratiſponæ, & alibi appellatur **Fronampter. Fronhof**, atrium circa templum, quia ſacrum eſt; ſiue ſeruiat ſepulturis, ſiue non **Fron iſt ein alt teutſch Wort**, inquit Hoſpinian⁹ Caluiniſta, **vnd heiſt heutigs Tags nichts anders/ dan herrlich/ fürnemb vnd köſtlich. Daher man auch in den hohen Stifften/ vnd Kirchen der fürnẽſten Altar/ Fronaltar nennet. Fron** *eſt vetus dictio Germanica; & hodie etiam nihil aliud ſignificat, quàm præclarum, præcipuum, & primarium. Hinc, in templis cathedralibus, præcipuum altare appellatur*, **Fronaltar**. hinc verbum **Fronen**; olim ſignificans templo, vel monaſterio alicui, religionis ergô, ac proinde gratis, operam ſuam locare. Et inter **fronen et**

Hoſp. lib. de feſtis cap. 77.

ſcharwercken hæc erat differentia; quòd illud cenſeretur quodammodo ſacrum; hoc, profanum. Etſi hoc diſcrimen non adeò accuratè ſemper eſt obſeruatum. Hinc Germani dicunt: **Jch bin in ſeinem Fron / vnd Dienſt**; etiam profanam ſeruitutem hoc vocabulo ſignificantes. Eugippius Abbas in vita S. Seuerini nominat *opus ſacrale*. vbi Scholiaſtes. *Agnoſce vulgare* **Fronen** ad verbum, *opus ſacrale*, **Fronarbeit**. Gloſſa ſpec. Saxon. lib. 1. art. 53. **Fronbote: heiſt der Frone auß zweierley Vrſachen. Zum erſten / das er zu ſeinem Ampt ſchweren muß. Zum andern/daß er Gottes Recher iſt.** Sacrum ergo **Fron** eſt.

Eugip. cap. 14

Vad. lib. 2. de colleg. & Monaſt.

Ineptè Vadianus ſuſpicatur Germanicum **Fron** natum ex Latino *Fruniſco*. Idem præcipuā huius vocis notionem ſatis fraudulenter diſsimulat: *Veteres*, inquit, *cōmune* publicum & populare dicebant **Fron**. Hinc compoſita: **Fronfaſt/ Fronkreütz/ Frongart/ Fronzehent**, & **Fronen**, *multis in locis de ſeruis dicitur, quando communes & debitas Dominis ſuis operas præſtant.* Nimirum alteram eāque ſacratiorem ſignificationem ſpiritus Zvvinglianus tangere horruit.

Sed, vt in viam redeamus, vox, **der Fronleichnam** manifeſtè vanitatem Caluiniſticam redarguit. Quomodo enim Chriſtiani accipiunt **den Fronleichnam**, hoc eſt, vt ipſe Lutherus interpretàtur, *verum corpus Chriſti*, ſi in Euchariſtia Chriſti corpus non eſt præſens? Quid quod ipſam quoque Euchariſtiam in recto vocant **den Fronleichnam**, ſeu, vt alij loquuntur, **Gottsleichnam**? Quæ loquendi communes, tritæque rationes non multùm ad Nouatorum ſtomachum faciunt. Vident enim, Germanos illos, qui talium vocabulorum auctores, & primi impoſitores; non fuiſſe Lutheranos, aut Caluinia-

nos

nos: nec primitùs ad Germanos Lutherana, aut Caluiniana dogmata peruenisse: aliòqui nunquam huiusmodi loquendi formulas vsurpassent, & adeò triuissent, vt, ne ipsi quidem hæretici, aliter loqui posint, si intelligi velint. Nam, si *festum Corporis Christi* Germanicè nominandum sit; non possunt, velint, nolint, aliter nominare, quàm **vnsers Herrn Fronleichnams Tag**: nec secus etiam suis in Fastis, seu calendariis nominant. Nec aliter nominare posunt; quia non intelligerentur. Fugiunt quidem has voces, veritatis hostes, quantum valent: sed voces, vtpote potentiores, præualent.

Dicunt ipsi frequenter; **zum Nachtmal gehen**; *ad Cœnam ire*: aliquando, **zu deß Herren Nachtmal gehen.** *ad Domini cœnam ire*: nouè nimirum, & contra receptum ante illos morem. Sed Nouatores non tantùm noua dogmata, sed & noua vocabula amant. Ridiculè: quandoquidem contendunt nihil faciendum, nisi quod scriptum. Vbi verò scriptum, vt cœna vertatur in ientaculum? id, quod ipsi aduersus scriptum verbum faciunt. Neque enim cœnant, sed ientant. nisi fortè excusantur; quia omnia iam naturæ legibus præpostera eunt, & manè *cœna* sumitur, sub noctem, ientaculum.

Occurit hîc historiola, verisima, multis nota; quæ in vrbe celebri, Germanis non incognita accidit. Cùm quidam ex nobilitate, homo militaris, Catholicus tamen, manè ientandi causa, ad hæreticum hospitium diuertisset; hospita autem eo ipso die, propter cœnam suam in templo diutius moraretur, Nobilis, moræ tantæ impatiens, indignabundus ex regresa muliere sciscitatur; cur aduenas cœptum iter prosequi cupidos, tamdiu detineat: Illa, moram excusans, se Cœnam sumpsisse; ac proinde citius domum reuerti non potuisse aiebat,

Tum

Tum ille; *Deus te perdat triuenefica : túne tam citò, & tam manè cœnasti; & ego cum meis necdum ientaui?*

Lutherani fatentur in Eucharistia adesse Christum; sed negant colendum, admodùm rusticè, quos refellit mos, sensusque communis. Tantus enim omnibus ergà hoc Sacramentum reuerentiæ sensus à primo ortu insitus est, semperque insitus fuit, vt etiam pani non sacro, & vulgari, propter Eucharistiam, cultum ac honorem detulerint. Testis Tertullianus, cuius hæc : *Calicis, aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram, anxiè patimur:* nimirum ob reuerentiam ergà eucharistiæ Sacramentum. Rhenanus in cit. Tertulliani locum; *propter crebram Sacramentorum tractationem inolita illis fuit religio, etiam vulgarem panem, & vulgare poculum reuerenter tractandi.* Qui sensus adhuc à teneris in plerorumque animis durat; qui panem, si fortè humi iaceat, cum osculo reuerenter leuant. Et, si casu conculcetur, religioso quodam horrore perfunduntur. Quæ huius rei causa, nisi mysterium Eucharistiæ, vel intuitus quidam ad hoc mysterium? Deinde, communis omnium sensus est, Christum esse colendum, vbicunque sit. quia vbique est Deus, ac Saluator noster.

Tertull. de coron. mil. c. 3.

Contra hanc ergò tam tritam, omnibusque Christianis insculptam notionem agunt sectarij, cum Christum, quem in Sacramento hoc præsentem confitentur, nullo honore afficiendum clamant; neque etiam vlla veneratione dignantur. Quæ doctrina, portio quædam est *epicureismi*; cuius hoc erat decretum, *Deos securum agere æuum; nec colendos.* quippe, qui nec ira, nec misericordia tangantur.

An & ipsi credunt Christum in Eucharistia, nec ira, nec misericordia tangi; eamque ob causam à cultu abstinent?

nent? *Non adest*, inquiunt, *vt colatur; non debet ergo coli.* Quæ argumentatio, vel potius deliratio, ipsi naturali lumini, quod in omnium, etiam agrestissimorum animis lucet, aduersatur. Quis enim præsentem Regem, Principem, herum, parentesue suos venerandos, & debito cultu prosequendos non arbitratur; si, vel vlla scintilla rationis in illo micet; licet non sint præsentes eo potissimum fine, vt colantur, sed, alias ob caussas?

Legi olim *Agendam* quandam Lutheranam in qua erat titulus, **vom Hergottsbier.** Vbi præscribitur, quantum caupones, & hospites rusticis, & opificibus, qui eo die cœnam sumpserunt, cereuisiæ præbere debeant: ne, si fortè nimium bibant, inebrientur, & aliquid Sacramento percepto indignum committant. An non hoc ipso mandato, & hac ordinatione sua fatentur Lutherani, Christum in Eucharistia esse colendum, & venerandum? Nam, cur volunt, vt eo die sint sobrij, nisi in honorē percepti Sacramenti? Quid hoc aliud est, quàm Christum in Sacramento venerari? Nam, si illum non honorant, cur modum, & moderationem præscribunt? cur non permittunt, vt cuiuis tantum à caupone porrigatur, quantum capit stomachus, & quantum ferunt loculi? Nimirum, hoc itidem Germanici sensus, & probitatis antiquæ argumentum est. Scimus apud Catholicos Germanos, etiam simplicissimos, pro inexpiabili scelere haberi, si illo die se inebrient, & quasi pro capitali, si vomant; idque propter Christum verè, realiter, & substantialiter perceptum; &, in honorem tanti hospitis. Ex hoc sensu manauit Lutherana illa ordinatio. Nā, si nō est in honorem Christi in Sacramento accepti, cur non liberum permittunt suis, vt die Cœnæ tantum bibant, quantū in Bacchanalibus nundinis, vel dedicationibus?

Porro Christum, si in Eucharistia præsens sit, (vt quidē fides Catholica præsentem esse immobiliter credit, & constantissimè defendit) colendum & adorandum esse, adeo perspicuum est ac euidens, vt ipsimet Caluiniani, venerabilis Sacramenti hostes infensissimi, id apertè palamque fateantur: Lutheranosque inciuilitatis vel potius impietatis arguant, quòd Christo in Sacramēto cultum nullum exhibere velint; quem tamen verè; realiter, & substantialiter præsentem agnoscant. Vnde ipsimet Lutherani publicè scribunt; se huiusmodi quæstionibus à Caluinistis exagitari: *Quomodo Papisticæ abominationes de oblatione, circumgestatione, & adoratione panis fundamendaliter refutari poßint, si in sententia nostrarum Ecclesiarum, constanter maneamus.*

Luther. in conuentu Torgensi. Vide Apologiam Bezæ ad Acta conuentus Torgensis.

Quare ad panem in, cum, & sub quo Christi corpus, & sanguis nobis porriguntur, & in quo, cum quo, & sub quo ipse Christus præsens est, non liceat dicere ex vero pietatis affectu: Deus miserere mei propter filium tuum, cuius corpus, & sanguinem ego de manu sacerdotis verè & essentialiter accipio.

Cur non liceat dicere ad panem: Domine Iesu, qui hîc verè, & corporaliter præsens es, miserere mei. Ac, si talis veneratio, & adoratio panis damnari, atque reiici non debet; cur non talem reuerentiam, & religionem per quotidianam mißificationem, circuitus, & alias Papisticas ceremonias confirmare, augere, & omnibus hominibus commendare, & quàm maximè persuadere licitum sit.

Occurrunt Lutherani, omnes huius generis *quæstiones habendas pro meris furoribus Sacramentariis, & pro perniciosis & blasphemis irrisionibus & subsannationibus.* Non abnuo, quæstiones istas calumniis & conuiciis scatere; sed in nos, non in Lutheranos; nam remota verborum in orthodoxos contumeliâ, meritissimò sciscitatur

Beza; *an non ſit de ſalute ſua meritò ſollicitorum hominum quærere, an in pane illo, & vino illo adorandus ſit, verè, realiter, ab ſubſtantialiter præſens Chriſtus? Hoc quidem noſtri iudices negant: ſed, illa poſita Conſubſtantiatione, non minus quàm Tranſubſtantiatione conceſſa, neceſſariò ſequitur. Illud enim, quod dicunt, non eſſe vſurpandum cultum extra Dei verbum, verè dicitur, ſed minimè appoſitè. Quis enim dixerit Chriſti adorationem eſſe* ἐθελοθρησκείαν; *Neque valet hæc exceptio, non iuſſiſſe Dominum, corpus ſuum in pane adorari, ſed accipi, & comedi. Regeretur enim, exprimi non potuiſſe, quod per ſe ſatis intelligatur, nempe, nunquam accedendum eſſe ad Chriſtum, præſertim re ipſa præſentem, ſine adoratione, vt qui ſit Deus.*

Poſtea oſtendit Beza ex Lutheri ſententia nō modò Chriſtum in Euchariſtia eſſe colendum & adorandum; ſed & ipſum panem ſeu panis ſpeciem veneratione affici debere: *Si furioſi ſunt*; inquit Beza, *& blaſphemi irriſores, qui hoc quærunt, & ſuperſtitioſi, qui Chriſtum in hoc pane adorant, quid fiet ipſi Luthero, qui ipſummet panem adorabilem ſenſit & ſcripſit? niſi hoc quoque poſtea emendauit, quem tamen noſtri iudices* ἀναμάρτητον *faciunt. Hæc enim ſunt illius verba in Louanienſibus articulis, quos edidit anno Domini 1544. theſi 51.* in Euchariſtiæ Sacramento VENERABILI, ET ADORABILI, eſt, & exhibetur, & ſumitur verè, & reipſa corp⁹, & ſanguis Chriſti tā à dignis, quā indign⁹. *Et theſi 27.* Hæreticos ſeriò cenſemus & alienos ab Eccleſia Dei eſſe Cinglianos, omnes Sacramentarios, qui negant corpus, & ſanguinem Chriſti ore carnali ſumi in VENERABILI Euchariſtia. *Excipient fortaſſè, vt cum Philippo, perſpicuè adorationem hanc ritè damnante, Lutherum concilient; intelligendum hoc eſſe, de quadam honeſta veneratione, qua non adoretur ipſe panis, ſed reuerentiam quan-*

dam animi in illa sacra actione testemur. At nos sanè non videmus, si ponatur realis consubstantiatio, quînam non peccent, qui Christum in illo pane non adorant, & inuocant, quicum penè etiam hypostaticè eum vnitum esse voluit Lutherus. Hæc contra Lutheranos Beza. Non malè. Hinc etiam cõmuni loquendi vsu appellatur *venerabile Sacramentum*; quæ locutio indicat, ipsa quoque externa panis & speciei symbola honorari debere.

Cum autem nonnullis in locis Lutherani cœnantes genua flectant; an non vel Christum vel Sacramentum hoc ritu venerantur & colunt? An genuflexio non est veneratio? An non, quod verbis adstruunt; nec Christum in Sacramento, nec ipsum Sacramentum coli & adorari debere; hoc genua flectendo destruunt, seque ipsos mendacij arguunt? de Luthero hæc refertur in Colloquiis symposiacis historiola: **Einer fragt / ob man dem Sacrament deß Altars möge Ehrerbietung thũ/ da sprach** D. Martin. Luther; **Wann ich beim Altar daß Sacrament neme/so beuge ich meine Knie/zur Ehrerbietung/im Bette aber neme ichs ligend.** En Lutherus flexit genua, idque honorando & colendo Sacramento. Cur à suo patre Lutherani desciscunt?

Tit. de Sacram. Altaris.

CAPVT. IX.

Etiam Lutherum ex communibus loquendi modis præsentiam Christi in Eucharistia demonstrasse.

NE AVTEM arbitreris, nos solos ex communibus dictis, & notionibus argumentari pro Ecclesiæ Catholicæ dogmatis, & placitis, etiam in materia Eucharistica, en tibi exemplũ

Luthe-

Lutheri, quiin libro *de miſſa priuata, & vnctione ſacerdotum*, ex vulgatis quibuſdam precibus, & Germanicis cantionibus, neceſsitatem vtriuſque ſpeciei euincere contendit; *Hoc*, inquit, *clarè teſtantur multæ vulgatæ preces, & cantica Germanica, quæ inter tot errores diuinitus ſeruata ſunt, quale eſt illud Germanicum vetus canticum*: **Gott ſey gelobet/vnd gebenedeyet/der vns ſelber hat geſpeiſet/mit ſeinem Fleiſch vnd ſeinem Blute, &c.** id eſt; *Benedictus Deus, & Dominus, qui nos ipſe cibauit ſuo corpore, & ſanguine. Deinde, aliud canticum* **Herr durch deinen heiligen waren Leichnam &c.** *Domine, per tuum ſanctum, verum corpus, &c.*

Tom. 7. Lat. Vuiteb. fol. 245.

Hæc Lutherus probè; quatenus ex communibus notionibus argumentatur; malè autem, quatenus id facit pro errore ſuo ſtabiliendo & adſtruendo: nam licet vtramque ſpeciem non ſumas, verè tamen cum Germanis illis cantas: **Gott ſey gelobet/vnd gebenedeiet/der vnß ſelber hat geſpeiſet/mit ſeinem Fleiſche vnd mit ſeinem Blute, &c.** *Benedictus Deus, qui nos cibauit ſua carne, & ſuo ſanguine. Nam*, qui vnam ſpeciem accipit, is & carnem, & ſanguinem accipit.

Expende verba iam dicti cantici, monet Lutherus, *an non ſit Chriſtiana, pura, & ſpiritualiſsima confeſsio?* Omnino talis eſt, ſi orthodoxè intelligatur, hoc eſt, ſi intelligatur de vera, reali, & ſubſtantiali præſentia corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, etiam ſub vna ſpecie, puta, panis. ſic enim verè eſt *Chriſtiana, pura, ſincera, & ſpiritualiſsima* aduerſus Sacramentarios cõfeſsio de vera, & reali præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia; & certè ex hoc cantico perſpicuè apparet, veteres Germanos, maiores noſtros, non fuiſſe *Sacramentarios*, vel, vt Lutherani aliquando loquuntur, *Sacramentiperdas*.

Pergit Lutherus; *satis clarè testatur, Laicos, tunc, cùm hoc carmen conditum est, vtraque specie vsos esse.* scilicet: quasi verò Germani vernaculis concionibus, & odariis profiteri non potuerint, se carne, & sanguine Christi cibatos esse; nisi vtrâque accepta specie. An non & hodiè carne, & sanguine Christi se pastos dicere consueuerunt, licet solam panis speciem sumant?

Qui nam illi, ait Lutherus, *de quibus dicit, nos cibauit? Certè Laici sunt, qui hoc canticum vernacula lingua cecinerunt, & adhuc canunt.* (Quis negat?) *& tamen confitentur, quòd non solùm altera specie, carne scilicet, sed etiam sanguine, atque ita vtraque specie se cibatos fatentur.* Hic primùm construat Lutheri verba, qui potest. Ego fateor, me non posse. Deinde, obseruetur, quàm peritè loquatur Lutherus. Carnem vocat alteram Eucharistiæ speciem; & sanguinem, alteram; & cum fideles fateantur, se cibatos carne, & sanguine, concludit, *eos sub vtraque specie Sacramentum accepisse.* Quis verò, ô hæretice, vnquam præter te, ita delirauit, vt carnem, & sanguinem Christi vocaret species Eucharisticas? An non omnes, qui, quod dicunt & scribunt, intelligunt; species externas, seu *accidentia* panis & vini, vocant *species Eucharisticas*? An profitentur Germani in illo cantico se species panis, & vini sumpsisse; aut, se carne, & sanguine Christi sub speciebus panis, & vini cibatos esse? Nihil minus. tantum canunt, se carne, & sanguine cibatos; quod verissimum, quamuis vnam duntaxat speciem sumpserint.

Subiungit Lutherus; *Hoc etiam piè, & spiritualissimè dicitur, quod carmen de ipso* (Christo) *dicit; Ipse nos cibauit. Indicat enim, non pastorem, aut ministrum tantùm, sed ipsum Christum, & Dominum esse, qui per suum mandatum, & institutionem, & non per opus sacerdotis, nobis suum corpus, &*

san-

ſanguinem porrigit. Quis ambigat, quin, vt Germani canunt, *ipſe Chriſtus nos cibet*: hoc eſt, corpus, & ſanguinem ſuum nobis porrigat? ſed, interuentu Miniſtri; abſque quo ſi eſſet; cæleſtis iſte cibus nobis non ſuppeteret; cùm ſacerdos non modò cibum hunc nobis apponat & diſtribuat; ſed etiam conſecrando conficiat, & præparet, tanquam Miniſter Chriſti. Quod in conficiendo, & in diſtribuendo ſacerdotis miniſterium minimè ignorarunt, aut negarunt veteres Germani in illo ſuo cantico; vtpote, quibus optimè perſpectum eſſet, quis cæleſtis huius cibi tam conficiendi, quàm erogandi ordinarius ac legitimus miniſter eſſet.

Necdum ſatis collegit Lutherus ex hoc cantico; plura exſculpere tentat: *Indicant pij, & Eccleſia in illo cantico; ſe Sacramentum non pro ſacrificio, aut bono opere (quemadmodũ abominatio docet) ſed pro cibo animi habere*, &c.

Quibus, obſecro, verbis hoc indicant? Prome ſodes. an illis, cùm aiunt; *ſe carne, & ſanguine Chriſti cibatos eſſe?* Num hæc verba negant Sacramentum altaris ſimul etiam eſſe ſacrificium? An non & hodie ipſi ſacerdotes, dum rem diuinam faciunt, hoc eſt, in ipſa Miſſa, profitentur, ſe carne, & ſanguine Chriſti cibatos? Num ideo inficiantur, Miſſam eſſe ſacrificium? Num ideo abnuunt, corpus, & ſanguinem Chriſti in Miſſa Deo ſacrificari? An idem nequit eſſe Sacramentum, & ſacrificium; ſimùlque cibus, & ſacrificium? An, qui vnum affirmat; alterum negat?

Quantus ſtupor obſedit Lutheri caput, cùm hæc tam ſtupida in chartas retulit. Mittamus ſtuporem. Nobis primùm ſatis eſt, etiam Lutherum, ex communibus vulgi dictis, & notionibus argumenta deſumpſiſſe. Secundò, ex Cantico illo, non id, quod contendit Luthe-

rus

rus; ſed præſentiam corporis,& ſanguinis Chriſti in Eucharistia dilucidè colligi aduerſus impiam Sacramentariorum nouitatem.

Sed ecce tibi mutabilitatem, & inconſtantiam Lutheri; *Non nimis*, inquit *laudibus celebrabo hoc carmen Germanicum*; *ne abominabiles hypocritæ & hoc canticum, tanquam hæreticum damnent, quod tamen ipſi, & omnes maiores eorum cecinerunt, & multis annis ante Lutherum natum conditum eſt.* Non eſt, quod metuas, Luthere. Nemo orthodoxorum damnabit hoc canticum. Pium eſt, Catholicum eſt; & Catholicæ fidei apud maiores noſtros florentis, teſtis, & index: ſenſum tuum, quem cantico affingis, repudiamus, ſemperque repudiabimus, vt & mendacium hoc tuum, quod proximè ſubdis.

Aliâs multa optima carmina damnarunt, quæ nil, niſi clariſſima Scripturæ verba continent. Sed tu ad alia, quæ aliâs effutiuiſti mendacia, hoc ſcilicet adiungere itidem volebas, vt numerus cumulatior efficeretur. Dic, quodnam Germanicum canticum ante infauſtam tuam defectionem natam condemnarunt Catholici? Nullum, ſatis ſcio, verè nominabis, vt in omnes partes mendaciloquentiæ tuæ purgandæ gratia, te conuertas. Nam quod cantiunculas tuas, & tuorum aſpernamur, id iure optimo fit: quia non olent ſpiritum Dei, ſed illum; qui, tibi in lecto cubanti vicinior eſſe ſolebat, teſte te ipſo, quàm tua *Ketha*.

Luth. in colloq Menſalibus.

Nos, inquit Lutherus, *hoc canticum in noſtris Eccleſiis de vtraque ſpecie, corpore, & ſanguine Chriſti, cum gaudio canimus, ſicut & verba clarè ſonant.* En iteratam inſcitiam, vel, ſi mauis, hæreticam impoſturam. Rurſus vtramque ſpeciem ait eſſe *corpus, & ſanguinem Chriſti*; vt ſimplicioribus imponat & illudat; quaſi veteres Germani vtramque

que ſpeciem ſumpſerint; cùm corpus, & ſanguinem Chriſti ſumpſerunt. Quis vnquam dixit, vtranque Euchariſtiæ *ſpeciem*, eſſe ipſum corpus, & ſanguinem Chriſti? Accidentia externa panis, & vini ſunt vtraque *ſpecies* Euchariſtiæ; non corpus, & ſanguis Chriſti; quorum vtrumque ſumit quis, licet tantùm ſpeciem panis ſumat, vt ſupra explicatum eſt. Quid verò emolumenti capiunt ſectarij, quando hoc maiorum ſacrum canticum ſuis in ſynagogis canunt? cùm illud canant verbis quidem iiſdem; ſenſu prorſus diuerſo; vt proinde, ſicut ab iſtis decantatur, nequeat vetus illud Germanorũ carmen exiſtimari. Satis de Luthero.

Et, quia de Germanica cantiuncula mentio hîc incidit; committere nequeo, quin moneam; præſentiam veram, & realem corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, adeò fuiſſe antiquis Germanis perſuaſam; vt eandem etiam verſibus, & rhythmis Germanicis decantarint: vt patet in parænesibus Tirolis Regis Scotorum ad filium Fridebrandum ante quadringentos annos veteri Teutonica lingua ſcriptis, & nuper demum in vulgus editis; vbi inter cætera: **ßwenne der Prieſter Meſſe thut / du Gottes genade kumbt balßmen geslich / vnd wirdt das Brot Fleiſch vnd Bluet**: *quando ſacerdos Miſſam celebrat; tum fit panis caro, & ſanguis*. Ibidem dicitur de Chriſto; **Daß er ſich birge in ein Brot**; *quòd ſe abdat in panem*. quia nimirum ſuccedit ſubſtantiæ panis, ſub iiſdem accidentibus.

In quẽ locum editor, & Scholiaſtes Goldaſtus; *Tangit* **Wiußbeke**· *Plurimis inculcant* **Friderich von Suuenburg**, *Boppo, & omnium diligentiſſimè.* **Chunrat von Würtzburg**. *ſed cur iſta in gynæceo, & aulicorum cœtu? Cauſa, opinor,* Berengarij Andegauenſis; qui præſentiam corporis,*

**Et tamen tu ipſe Berengarianus es.*

& sanguinis in Sacramento negabat. Cuius sententiam, licet fuerit aliquandiu sopita, resuscitauit iterum Arnaldus Brixiensis, multosq́; aulicorum iam ad se pertaxerat; atque adeò ipsum Imperatorem Fridericum primum, quo de, bina exempla negatæ præsentiæ commemorat Ioannes Vitoduranus Minorita principio chronicorum. At in eius aula equestres isti poëtæ.

Hæc ille. De Imperatore Friderico vix fides: tum, quia nihil simile de illo prodit Otho Frisingentis, Friderico Synchronus; tum, quia Friderici iussu, & auctoritate Arnaldus Brixianus scelera, & dogmata sua hæretica flammis luit.

CAPVT. X.

Iterum demonstratur præsentia Christi in sacra Eucharistia, ex tritis sentiendi, loquendi, & agendi vulgi modis, & formulis, cum refutatione Emdensium Caluinistarum.

PERSEQVAMVR alias consuetudines, quæ non aliunde exstiterunt, quàm quod Germanis persuasum fuit, corpus Christi in Eucharistia *verè*, *& substantialiter* præsens esse

I. Multis, etiam infimæ sortis religio est, illo die exscreare. Et si necessitas cogat, mundo linteo sputum excipiunt. Aliis, exspuere piaculum videtur; si non aliquantulum saltem temporis à communione effluxerit. Scio etiam esse ex plebeiis, & idiotis, qui, vt capitale facinus horreant; si quis eo die, quo venerabile Sacramentum

tum

tum accepit; cibo, potuque ita se oneret, vt stomachus vomendo leuari debeat. Vnde hic tantus reuerentiæ affectus, nisi ex persuasione præsentiæ Christi in in Eucharistia? Nam, si nihil aliud Eucharistia esset, quam nudus panis, vel etiam nudum symbolum gratiæ, præsertim Lutheranæ & Caluinianæ, hoc est, *imputatiua*, causæ nihil esset; cur post sumptionem huius panis religiosius sese Christiani gererent; quàm post esum, & vsum cuiuscunque alterius panis.

II. Genua reuerenter flectunt, & submittunt, cùm hunc cælestem panem sumunt. Quid opus genuflexione; si panis iste non est nisi *tropicè* corpus Christi? Animaduerterunt Caluinistæ, præsertim Emdenses, genuflexionem esse indicium; & argumentum realis & corporalis præsentiæ Christi: quocirca negligendam decreuerunt, causasque sanctionis suæ reddunt istas. I. *quia neque est praeceptum, neque exemplum huius rei in scriptura.*

II. *Quia olet superstitionem, & hypocrisin.*

III. *Quia exstitit ex Papatu; perq; eam stabilita est adoratio Sacramenti.*

In lib. de cœna, & ceremoniis Ecclesiasticis Herbornæ impresso 1592

Ad primam rationem, quæro, vbi in scriptura sit præceptum de statione vel sessione in cæna; quorum alterum eligunt alij Caluinistæ; alterum, alij? Vnde probabunt Caluinistæ, Apostolos stetisse in cœna? vel etiam sedisse? Multò profectò citius demonstrarent, eos iacuisse. Discubuerunt enim, vsi lectis, more Orientalium, & Romanorum. si igitur sua in cœna tam Apostolici esse cupiunt, oportet, vt nec stent, nec sedeant, sed iaceant.

AdSecundam respondeo; si, dum Eucharistiam sumimus, genuflectere *superstitio, & hypocrisis* est: fore etiam

am ſuperſtitionem, & hypocriſin, quando quis aliam ab cauſam inter precandum genua in terram demittit, aliis præſentibus, & inſpectantibus. ſi enim hoc fieri nequit abſque ſuperſtitionis, & hypocriſeos nota, in publico vſu Cœnæ; cur alibi, alia occaſione, aliis præſentibus, ſuperſtitionis & hypocriſeos nota careret?

Act. 20.

Ex quo ſequitur; S. Paulum fuiſſe *ſuperſtitioſum*, & *hypocriticum*: quia poſitis genibus orauit cum vniuerſa Epheſiorum Eccleſia; *Poterat*, vt Caluiniſtæ monent, *priuatim deuotionis ſuæ affectui vacare; ſeq; reuerentem & obſeruantem Dei oſtendere: & nihilominus mercede apud Deum fraudatus non fuiſſet, iuxta illud Chriſti; Qui ieiunare ſtatuit, non exterminet faciem ſuam: &, qui orare cupit, is id non faciat in angulis platearum; ſed in abſcondito.* Ecce D. Paulus publicè flexis genibus precatur, non *in abſcondito*: non poterit igitur à *ſuperſtitione & hypocriſi* excuſari, forſan enim flectendo genua cælum, vel terram adorare exiſtimari poterat. Et quid opus erat hac ceremonia in conſpectu totius Eccleſiæ?

Ad tertiam; fatemur, morem flectendi genua in perceptione Euchariſtiæ natum ex *papatu*; hoc eſt, ex vera, Catholica, & orthodoxa Eccleſia: ſicut è contrà, abrogationem huius tam religioſæ conſuetudinis, non aliunde proueniſſe exiſtimamus, quàm ex diaboli ſynagoga, quæ Chriſti cultum & venerationem tolerare nequit: cuius odio, hunc morem velis remisque abrogandum tendit. nimis enim clarè eluceſcit, quid Chriſtiani veteres hoc genuflexionis ritu ſignificarint.

Vide autem Dæmonis aſtutiam: ſi quis à Principe munus aliquot flexis genibus accipiat; non vertitur ei vitio; quin laudi datur: at cùm à Deo cœleſte hoc munus, & futuræ gloriæ pignus accipimus; ferre non poteſt

capi-

capitalis ille ſalutis noſtræ hoſtis argumentum hoc, quo ſubiectionem noſtram, & obſeruantiam ergà Redemptorem noſtrum teſtamur. Et tamen licet Chriſtus in Euchariſtia corporaliter præſens non eſſet; nihilominus rectiſsimè non niſi genibus humi poſitis, ſumeretur: cùm, vt Caluiniſtæ dicunt, Chriſtus ſaltem per gratiam ſuam in Cœna ſit præſens. Quis autem tam abſurdus fuerit; qui gratiæ oblationem genibus flexis acceptare nolit, cùm gratiam à Principibus oblatam nemo, qui ciuilitatem vel à limine ſalutarit, aliter, quàm flexis genibus, accipiat?

Sed en conſenſionis Caluiniſticæ ſpecimen. Germani & Belgæ genuflexionem exterminant: contrà, Angli, non tantum probant; ſed & mandant. ſic enim edicunt in ſynodo Londinenſi anno Chriſti 1603. celebrata cap. 23. *Volumus, vt ſinguli eorundem* (ſcholarium) *Præfecti, ſocij, ſcholares, reliquique ſtudioſi ac officiarij, & illorum quilibet famuli, ac miniſtri, vno quoque anno quater ad minimum, eiuſdem (cœnæ) ſint participes, idq́; in genua reuerenter (vt par eſt) inclinati:* Audi ſeuerius edictum cap. 27. *Miniſtri, cùm Cœnam adminiſtrant, neminem ſcienter eiuſdem facient participem, qui in genua non fuerit inclinatus; ſub pœna ſuſpenſionis.* Ex quo duo ſequuntur. I. Belgam, aut Germanum Caluiniſtam in Anglia non admiſſum iri ad Cœnam: cùm cœnare nolint, niſi ſtantes, aut ſedentes.

II. Ab officio ſuſpenſum iri in Anglia Miniſtrum Caluinianum Germanum, vel Belgam; cùm non niſi ſtantibus, vel ſedentibus Cœnam præbeant; cui facto pœna *ſuſpenſionis* ab Anglis decreta eſt.

Conſultus ab Anglis Beza, num in Euchariſtiæ præceptione genuflexio adhibenda eſſet; reſpondit vt λο-

Vide Epiſt. 12 Bezæ Tom. 3. operum Theolog.

λογίας, qui quod clauſum habet in pectore non audet libere proloqui; ſed omnia ambagibus inuoluit; vt quidquid eueniat; ipſe ſemper ſuæ aſſertionis tuendæ occaſionem habeat. *Geniculatio*, inquit, *dũ ſymbola accipiuntur, ſpeciem quidem habet piæ, ac Chriſtianæ venerationis, ac proinde olim potuit cum fructu vſurpari: tamen, quoniam ex hoc fonte orta eſt ἀρτολατρεία illa deteſtabilis, & adhuc in multorum animis hærens, meritò ſublata eſſe videtur. itaque Deum Opt. Max. precamur, vt & ipſi Regiæ Maieſtati, & Epiſcopis id conſilij in his rebus ſuggerat, quod ad iſtas ſordes ſemel repurgandas neceſſarium videtur.* En diuerticula. *olim potuit cum fructu vſurpari: nunc merito ſublata videtur Expurganda cum ceteris ſordibꝰ videtur.* Cur non dicis clarè, quod ſentis? Cur, niſi quia vulpecula es? metuens ne ſi animi tui ſenſa abſque anfractibus explices; Anglorum animos offendas, ſi non obtemperẽt; ſi autem obtemperent, te conſultore, obtemperaſſe videantur.

III. Non niſi manibus complicatis Euchariſtiam ſumunt Catholici. Neque hunc morem Diabolus tolerare potuit. Quare, vt genuflexionem, ſic & manuum coniunctionem & complicationem per Caluiniſtas ſuos ſuſtulit; eaſdem ob cauſas, ob quas genuflexionem exterminauit. Omnibus conſideratis, potiſsima eſt; quia hæc præſentiæ Chriſti in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & vini, indicia, cacodemoni, & adminiſtris eius Caluiniſtis nimis magnam moleſtiam pepererunt. Eapropter in id vnum incubuerunt, & adhuc incumbunt, vt hanc ceremoniam exturbent; & cum aliis Catholicæ religionis inſtitutis ad Antipodas ablegent. Vocant ipſimet Caluiniſtæ Cœnam ſuam **Daß heilig Abentmal**, *ſanctam Cœnam*. Et tamen ferre nolunt, vt quis ſacram hanc Cœnam geſtu & ritu ſacro ineat. Si ſancta eſt; ſi ſacra eſt,

alios

alios ergo gestus, alios ritus, quam cœna profana requirit.

IV. Nullus est; qui etiam externo corporis cultu, non conetur internæ reuerentiæ, affectusque sui specimen edere, cùm ad hoc cæleste epulum accessurus est. Hinc vestes mundiores induuntur, & strophiola pura sumuntur tergendo ori, totique vultui. Qua de causa, nisi vt hac externa significatione testatum faciamus, quem nos in Sacramento Altaris verè, & realiter præsentem esse firmissima fide credamus? Hinc etiam sacra hostia communicantibus non porrigitur, nisi substrato linteo, eoq́; terso, & emaculato; idq́ue ideo, ne quid de sacratissimo mysterio in terram decidat.

CAPVT XI.

Refutantur causæ, quas adferunt Embdenses ob sublatum in Eucharistiæ perceptione substratum linteum.

HOc linteũ Caluinistæ sustulerunt. I. *Ne decidua panis, & vini particulæ existimentur verè & realiter esse corp⁹, & sanguis Christi.* Atqui, quidquid ope, & opera vestra Cacodæmon moliatur, aliud apud Catholicos nõ sunt, quã corp⁹ & sanguis Christi: non tropicè, vt *Tropistæ* somniant, sed realiter, & substantialiter: & ex huius rei certa, constantique fide, ac persuasione, exstitit vsus substrati lintei. Neq; isti cõmunes istas notiones ex fidelium animis vnquã penitus expungent; licet mille voluminibus contrà detonent.

Emdens. lib. sup. cit.

II. *Ne homines arbitrentur Christum habitare, & manere in pane, & vino; sed potius credant, & cognoscant, eum in cordibus fidelium sedem collocasse.* Atqui vtrumq; fieri potest;

teſt; nimirum, vt ſub pane, & vino, hoc eſt ſub ſpeciebus & accidentibus panis & vini; inque animis fidelium maneat, & vtrobique quaſi degat. Vtrumque à fidelibus creditur & cognoſcitur: & creditu, cognituque facile eſt, beneficio fidei; quæ etiam difficillima myſteria fidelium mentibus creditu procliuia reddit.

III. *Quia nihil Sacramenti rationem habet extra legitimum vſum. Hinc, ſi quid decidat; non magni æſtimandum eſt; quippe, quod vſu deſtitutum, nullam Sacramenti rationem induat.* Quis vnquam, præter Lutherum & Caluinum, eorumque aſſeclas, vel etiam anteceſſores hæreſiarchas, iſtud de Sacramento tradidit? Quis orthodoxorum hanc doctrinam docuit? Quis hanc regulam præſcripſit? Imò, quia communis & vera Chriſtianorũ perſuaſio eſt, particulas, ſi quæ fortè deciderent, eſſe verè & realiter corpus Chriſti; ideo ſindonem mundam ſupponunt; vt ſi quid delabatur; honeſto receptaculo excipiatur. Huic communi conceptioni cum Chriſtianæ fidei elementis, ſingulorum fidelium cordibus quaſi inſculptæ; opponunt iſti veſanam, & ſtolidam illam ſuam regulam: *Nihil extra vſum, eſſe Sacramentum*; & per illam delere contendunt, quod indelebiliter in orthodoxorum pectoribus perpetim inhæſit.

IV. *Ne quis quod ſupereſt de pane, & vino exiſtimet eſſe corpus, & ſanguinẽ Chriſti.* Atqui hanc veriſsimam exiſtimationem, imò certiſsimam fidem, nunquam ex fidelium animis eximetis; quantumuis licet linteum ſubſterni conſuetum, fidei huius indicem, & argumentum, tollatis, & impiis edictis veſtris proſcribatis.

V. *Ne quis putet Chriſtum iam in ſua gloria regnantem, in his terris corporaliter proiici in terram, aut linteo ſubiecto excipi.* Et hæc fides ita radices in præcordiis fidelium egit;

vt

vt vobis facilius futurum putem, torrentis fluuij cursum rapidum retrò conuertere; quàm persuasionem istam euertere. Euerteritis in quorundam animis. Quid tum? Paleæ sunt, stipulæ sunt. Auolant. Vtinam & reuolent; & ex paleis solida grana fiant; ne à quouis doctrinæ vento abripiantur, &, turbinis instar, circumferantur. Et quorsum tendit hæc veterum rituum abolitio, nisi ad abolitionem fidei, qua Christiani constanter credunt, Christum Redemptorem nostrum, verè, & substantialiter in hoc Sacramento existere? Ideo enim & genuflexionem, & manuum complicationem, & linteum substratum, & alia huius generis eliminant: quia omnia indicia & argumenta præsentiæ corporis Christi in Eucharistia eliminare, & in extremos orbis terrarum fines relegare contendunt. In quo, quantum à veteribus religione ac pietate abscedunt? qui, diligentissimè operam dederunt, ne quid de Eucharistia in terram decideret: *Nostis*, inquit Origenes, *qui diuinis mysteriis interesse consueuistis, quomodo, cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat; ne consecrati muneris aliquid dilabatur. reos enim vos creditis, & rectè creditis, si aliquid inde per negligentiam decidit.*

Orig. hom. 13. in Exod.

S. Cyrillus Hierosolymitanus. *Caue, ne quid inde excidat tibi; quod enim amittes, hoc tanquam ex proprio membro amiseris.* Et quia tunc Eucharistia sumentibus tradebatur in manum; modum præscribit, quo caueri possit, ne quid in terram delabatur: *Non expansis manibus, neque disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem aliquam subiicias dextræ, quæ tantum regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi.*

Cyr. Cath. 5.

S. Augustinus. *Quanta solicitudine obseruamus, quando*

S. Aug. lib. 50. homil. hom. 26.

nobis

nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat. Vnde hæc tanta solicitudo, nisi ex firma fide realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia?

Idem serm. 252. de temp.

Ex qua fide processit etiam ille priscis Christianis vsitatus mos; de quo D. Augustinus: *Omnes viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant. Non est graue quod dico fratres, quomodo viri lauant aqua manus suas; sic eleemosyna lauent conscientias suas, similiter & mulieres, quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Christi accipiant; sic corpus castum, & cor mundum exhibeant, vt cum bona conscientia Christi Sacramenta suscipiant.* Ad eundem morem alludit D. Augustinus his verbis; *Si erubescimus, ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere; plus debemus timere, ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere.*

Idem S. Aug. hom. 244. de Temp.

Canon Trullanus 102. *Si quis immaculati corporis in synaxis tempore, esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim, qui ex auro, vel ex alia materia quadam loco manus receptacula efficiunt, ad diuini muneris susceptionem; & per ipsa, immaculatam communionem recipiunt, minimè admittimus, vt qui inanimatam, subiectamq; materiam Dei imagini præferant.*

Vnde hæc omnia reuerentiæ indumenta? nisi ex fide, qua omnes Christiani certissimò credebant; Christi corpus in Eucharistia *verè, realiter*, & *substantialiter* præsens esse, & à fidelibus percipi. Ex eodem fonte exstiterunt vascula illa aurea, & argentea, quibus aliqui Eucharistiam sibi à sacerdote traditam excipiebant: licet Trullanus Canon manum sumentis eiusmodi vasculis anteponat.

ponat. Ex scholiis Balsamonis ad hunc Canonē, liquet, apud Græcos quoq; non vbiq; receptum fuisse, vt Eucharistia cōmunicanti in manum traderetur. Sic enim scribit. *Ne mireris, nec causam rogaueris, propter quam in quibusdam ecclesiis datur laicis sanctum Christi corpus, nec eis in manu traditur, vt hoc canone continetur. Recta enim fides, & Dei timor, & ab omni suspicione aliena pietas hoc tradidit, non laicorum indignitas.*

CAPVT XII.

De venerabili Eucharistiæ Sacramento ægris impertiendo.

ANTIQVISSIMA est in Ecclesia Catholica consuetudo, vt moribundis, seu in probabili vitæ periculo versantibus, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum præbeatur. Hinc *viatici* præcipuè nomen inuenit: quia fidelium mos habet, vt ex hac vita abituri, eo se muniant & instruant: quanquam alia itidem appellationis huius ratio reddi potest; quod in huius vitæ via & peregrinatione, hoc cælesti cibo sustentemur & roboremur.

Hic sub extremam vitæ horam Eucharistiæ sumendæ sensus, adeò omnium Christianorum cordibus insedit; vt quisquis sine hoc viatico hinc discedit, parum de se honorificam existimationem concitet; præsertim, si huius viatici adipiscendi copia suppetebat. Germani dicunt, Man hat in versehen / Er hat sich versehen lassen. ad verbum, *Prouisus est; curauit se prouideri. Latinius; instructus est: curauit se instrui.* Vt enim largo & lauto viatico quis ad difficile iter peragendum instruitur, tanquam præsidio, difficultatibus superandis peroppor-

tuno; sic etiã æger huius Sacramẽti perceptione ad transitionem ex hac vita in alteram præparatur & instruitur: non, quod absolutè nulli aditum ad cælum absque hoc Sacramento, sub vltimum vitæ tempus sumpto, patere credamus, vt mẽntitur Hospinianus Caluinista; sed quia, vt diximus, Sacramentum illud vires, & robur ingens subministrat, ad supremum illud iter feliciter, & alacriter conficiendum; adeò vt in fortitudine eius *vsque ad montem Dei Oreb*, cum sancto illo vate, facilè, & iucundè ambulemus. *Habet enim viaticũ istud omne delectamentum, & omnis spiritualis saporis suauitatem, cuius perceptione confortantur corda*; vt rectè dixit pius, & doctus Idiota

Hosp. lib 2. histor. Sacrament.

Idiot. c. 20. contempl. mort.

Etsi autem non desunt grauissimi, & præstantissimi Theologi, qui censeant, iure diuino obligari hominem ad communionem in articulo mortis, per se & ratione illius periculi, siue prius communicauerit in vita, siue non: nemo tamen asserit, nullum simpliciter, nisi huic præcepto re ipsa satis faciat, beatitudinem consequi posse. Quid si enim desit eius implendi tempus? Quid si desit occasio? Quid si æger derepente in eum statum vi ægritudinis coniiciatur, vt hac cœlesti esca non possit amplius vesci? Quid si præceptum hoc inculpabiliter ignoretur? Quid si æger, aut qui ægrum curant, bona fide sibi persuadeant; verisimilitudine non destitui aliorum Theologorum sententiam, qui arbitrantur, satis esse, si quis aliquando diuino hoc cibo pastus fuerit? Mendaciter ergò agit Hospinianus, cùm, quod antea retuli, nobis affingit.

Vide Soarium Tom. 3. d. 69. sect. 3.

Mendacium est & illud; *eos, qui sine hoc viatico ex hac vita migrant, non in cõmuni Christianorum cæmeterio sepeliri.* Figmentum hoc redarguit vsus contrarius, & quidem quo-

quotidianus: nullus enim excluditur à communi ſepultura, quem Catholicam fidem ſyncerè profeſſum, & absque Sacramenti contemptu mortem obiiſſe conſtat.

Adde & hoc eiuſdem Caluiniſtæ mendacium: Extremam communionem vocari viaticum; *quaſi illi, qui eius participes facti ſunt, expediti ſint, feliciter ex hac vita migrandi, non tamen rectà in cælum, ſed in Purgatorium.* Impudens commentum. Nemini namque hoc viaticum porrigitur eo fine, vt eat in Purgatorium, ſed, vt in cælum: Et, ſi in Purgatorium eundum ſit, id non ex viatico, ſed aliunde, ex noxis nimirum necdum perfectè expiatis, prouenit. Neque eſt viaticum ad Purgatorium, ſed ad cælum.

Caluiniſtæ, vt alia humanæ infirmitatis ſolatia, & contra *ſpiritales nequitias* munimenta: ita & hoc cæleſte viaticum hominibus eripere tentant, & vbi facultas datur, re ipſa eripiunt: vt videre eſt in libro Caluiniſtarum Emdenſium iam ſæpe nominato, & ſæpius nominando; in quo antiquiſsima ægros hoc viatico inſtruendi, & erigendi conſuetudo penitus antiquatur, aboletur & abrogatur, idque ob has cauſas; quas etiam ex Emdenſium libro, in ſuam Sacramentariam farraginem tranſſcripſit Hoſpinianus. *Lib. 2. fol. 42.*

I. *Quia Dominus cænam ſuam celebrauit in toto ac integro diſcipulorum ſuorum cœtu, non priuatim apud ægrotum quempiam, addito mandato, vt hoc etiam modo à nobis celebretur. Accedit, quod etiam D. Paulus ad celebrationem cœnæ plures conuenire poſtulat; affirmatq́, ſe ita à Domino accepiſſe, quemadmodum Corinthiis tradiderat.*

Reſpõdeo, nihil aliud ſupereſſe, quàm vt oſtendant Caluiniſtæ, eiuſmodi præceptũ à Chriſto, eiusq; Apoſtolo Paulo datum, quo ſimpliciter interdicatur, vt nunquã

& nuſquam Euchariſtia cuiquã porrigatur, niſi in cõuentu plurium; neq; vnquam cuiquã ſoli, ſed pluribus ſimul; neque ægrotis in priuatis ædibus; ſed duntaxat his, quibus per valetudinẽ publicos Eccleſiæ cœtus frequentare licet. Hoc ſi oſtenderent, à Chriſto vel Paulo fuiſſe præceptum; iam debellatum eſſet: iam victoribus Caluiniſtis coronas victrices porrigeremus.

Interea brachia in auras incaſſum iactant, nullumque aduerſarium tangunt; dum hunc in modum non tam argumentantur, quàm fatuantur: *Chriſtus celebrauit Cœnam pluribus præſentibus; & pluribus ſimul Euchariſtiam porrexit; ergò nefas eſt vni ſoli Euchariſtiam dare priuatis in ædibus; extra publicum Eccleſiæ cœtum.* Pulchra conſequentia, & digna Caluiniano acumine: quam pari ſubtilitate ſic probant: *Chriſtus dixit; Hoc facite in meam commemorationem: ergò prohibuit, vt Euchariſtia*, ſeu, vt ipſi loquuntur, *cœna, alicui ſoli, & extra publicum conuentum adminiſtretur.*

Reſpondeo, negando conſequentiam. quia illa vocula demonſtratiua *Hoc*, refert tantùm, & præcipit ſubſtantiam, &, vt ſic loquar, *eſſentiam* illius actionis, quæ conſiſtit in confectione, adminiſtratione, & ſumptione huius Sacramenti: non autem refert, & præcipit omnes circumſtantias huius actionis; aliôquin Euchariſtia neque eſſet conficienda, neque adminiſtranda, neque diſpertienda, niſi in præſentia duodecim duntaxat hominum, aut tot, quot cœnæ illi poſtremæ Chriſti, vel adfuerunt, vel interfuerunt: neque niſi noctu; neque niſi poſt cœnam vulgarem, &, vt vocant, *vſualem.* Quis tam delirus eſt, vt hoc ſibi perſuadeat? Quinam vſque adeò à ratione auerſi, vt hoc ſibi perſuaderi ſinant? Itaque confectio, adminiſtratio, & ſumptio Euchariſtiæ à Chri-

ſto,

sto,& Apostolo eius, exemplo Christi, præcepta est; siue pluribus præsentibus,& à pluribus publicè in Ecclesia administretur,& sumatur, siue non.

Iam verò, quando ægroto cuipiam priuatim in ædibus priuatis Eucharistia datur; & ab infirmo sumitur, tum vtique fit, & peragitur, quod Christus verbis illis, *Hoc facite*; faciendũ iussit: quia Eucharistia administratur & manducatur. At, hoc Christus iussit. nam, vtrum hoc fiat coram pluribus, vel non, id præcepto huic penitus accidentarium est.

Adde, quòd Christus ante institutionem huius Sacramenti; non dixit; *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis* publicè, & in conuentu plurium, & plures simul, *carnem filij hominis*,&c. sed absq; his peristasibus: *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ergo æger priuatim, & in priuatis ædibus, & solus etiam manducare potest corpus,& bibere sanguinem filij hominis. Nec dixit Christus: *Si quis* cum aliis, & publicè *manducauerit ex hoc pane*; sed, *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Ergò æger, etiam priuatim, manducare potest ex hoc pane: ergò etiam cum fructu, & effectu adiuncto hunc panem manducat. Nec dixit; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem* cum aliis,& publicè, *is habet vitam æternam*; Sed, sine hac restrictione; *qui manducat meam carnem*, &c. habet vitam æternam. Ergò etiam æger potest hunc panem manducare, & bibere Christi sanguinem priuatim, & solus, cum promisso fructu.

Io. 6.

Ibid.

Ib.

Nec dixit Christus; *Caro mea* publicè sumpta, *verè est cibus*; *& sanguis meus*, publicè sumptus, *verè est potus*: sed absolutè; *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem* (vbicunque, non tantùm,

qui

qui publicè, & cum aliis) *& bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Iniurioſiſsimi igitur ſunt Caluiniani in ægros; quibus hunc tantum corporis, & ſanguinis Chriſti fructum vniuerſim denegant.

Ex his patet etiam reſponſum ad ea, quæ ex D. Paulo obiiciebantur. Nam Corinthiis nihil aliud tradidit, quàm, quod à Domino accepit: non accepit autem hoc, vt Euchariſtia nulli vnquam priuatim extra Eccleſiæ conuentum, & nulli ſoli adminiſtraretur; vt hactenus euidenter probatum. Et confirmatur etiam exemplis vetuſtiſsimæ Eccleſiæ. ſolebant enim fideles Euchariſtiam ſecum deferre domum; priuatimque ſumere, pro occaſione, & pietatis affectu. Id ex Tertulliano planum; qui ad vxorem; *Non ſciet maritus, quid in occulto ante omnem cibum ſumas?* Idem conſtat ex S. Cypriano, & aliis, de quibus Bellarminus. Si ergò Chriſtiani olim, etiam valentes, priuatim, & extra Eccleſiæ cœtum, & ſoli Euchariſtiam ſumebant, & nemo id tanquam primæ inſtitutioni contrarium reprehēdebat; mirari quis meritò poſſet, vndenam Caluiniſtis tanta ſit omnia inſectandi, & exterminandi libido; vt ægrotis, quos inualetudo lecto affixit, & mors iam iam ex hac vita abreptura eſt; hunc tam precioſum, & ad animæ robur tam accommodatū cibum ſceleratè ſubtrahant, eo ſolum prætextu, quaſi mandato Chriſti aduerſetur, ſi quis priuatim, & ſolus cæleſti hoc cibo impartiatur. Neque deſunt antiquitatis exempla, quibus perſpicuè demonſtretur, ægrotis olim Euchariſtiam priuatim datam, & quidem ſolis: de quibus exemplis Bellarminus.

Tertull. lib. 2. ad Vxor.

S. Cypr. ſerm. de lapſis.

Bellar. lib. 4. de Euch. c. 4.

Occinit Hoſpinianus omnium hæreticorum ore tritam cantilenam. *Non videndum; quid veteres fecerint; ſed quid iure, & verbo Dei conuenienter fecerint: neque atten-*

Hoſp. lib. 4. hiſt. Sacram.

dendam

dendam consuetudinem; sed videndum, quàm consuetudo cum sacris literis consonet. Sed hæc, & id genus alia, nihil aliud volunt, quàm totum vetustatis sensum, & consensum postponendum esse nouissimis nostrorum Nouatorum somniis, idque solummodò amplectendum; quod istis allubescit: licet à maioribus nostris cõtrarium factitatũ euidenter liqueat. Verùm de hoc inferius plura.

II. causa: *Ne ex sacra cœna efficiatur missa priuata, (vt factum in papatu) cum iniuria Christi, multiplicique idololatria & superstitione.*

Respondeo; Missam priuatam nullam agnoscimus. nam vbicunque, & quibuscunque præsentibus; seu multis, seu paucis Missa celebretur; publico Ecclesiæ nomine; & loco summi illius secundum ordinem Melchisedech sacerdotis, celebratur. Itaque semper publica actio est; & publicum sacrificium. Si autem priuatam Missam Caluinistæ illam appellent; quæ peragitur absque populi conuentu, & frequentia; solo sacerdote, eiusque ministro præsente; negamus eiusmodi missam quidquã idololatriæ; vel superstitionis continere; vel vlla ratione institutioni, præceptoque Redemptoris nostri repugnare. Nam quidquid verbis illis; *hoc facite*, Christus præcepit; id in tali etiam Missa obseruatur: quia Eucharistia in illa conficitur, administratur, & sumitur: quæ tria præcipuè verbis illis, *hoc facite*, mandantur. Quod si Caluinianis tanta est cura, quàm longissimè à Papistis & Papatu recedendi, reiiciant totum Eucharistiæ Sacramentum; longeq; longiore interuallo à nobis distabunt. Quanquam nil necesse de hoc Caluinistas monere. Iam hoc Sacramentum re ipsa, si minus lingua & voce; repudiarunt.

III ratio: *Ne cœna habeatur pro opere operato, hoc est, pro*

tali opere, quo reconciliatio cum Christo, & beatitudo certò obtineri queat. Quid impietatis in hac persuasione, ô Caluiniani? An non concinit cum illa promissione Christi? *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternam:* Item cum illa; *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*: vt alias huius generis taceam. Si caro Christi in sacramento Eucharistiæ manducata dat vitam æternam; si facit, vt quis in æternum viuat; si facit, vt habeamus vitam in nobis: si facit, vt nos maneamus in Christo, & Christus in nobis; si facit, vt viuamus propter Christum: si deniq; alia munera & cælestia charismata nobis confert, cur non plurimum spei, & fiduciæ à fidelibus in hoc preciosissimo, & augustissimo Sacramento collocaretur? Et, si hæc omnia Sacramentum nobis confert practicè; non quatenus opus quoddam nostrum est; sed quà Sacramentum nobis applicatum, & ritè susceptũ; meritò ex *opere operato* effectus illos producere, & supra dicta largiri existimatur. Et quomodo fieri potest, vt quis plus spei ponat in Sacramento, quàm in ipsomet Christo; si Christus omnium gratiarum fons in hoc Sacramento verè, & substantialiter præsens est, vt verè est? imò, si Christus huius etiam Sacramenti pars essentialis est; vt verè est; an non, dum quis spe sua in hoc Sacramentum firmiter tendit; pari passu in ipsum Christũ tendit? Quanquam vana spe lactatur; quisquis spe cœnæ Caluinianæ sese pascit: à qua Christus tantùm abest; quantum cælum ab inferis; & quantum ab omni impia, & sacrilega actione abesse solet. Neque Caluinistici Ministri vllam reprehensionem mererentur; si, quanta contentione possent, suos à cœnâ in Caluini culina cocta dehortarentur & abstinerent.

Ioan. 6.

IV. Ratio: *Vt eximatur ex Christianorum animis persuasio,*

quasi

quasi hoc Sacramentum sit viaticum; cuius præsidio moribundi in supremo, & periculoso illo itinere à diabolo, æternaq; damnatione securi euadant.

Respondeo, expungere opinionem & fidē *viatici* ex fidelium cordibus, nihil aliud esse, si quis rem penitius introspiciat, & verum liberè fateri velit, quàm delere ex Christianorum animis fidem, qua sibi certò persuadent, verissima esse illa Christi Domini promissa: *Si quis mādu-* Io. 6. *cauerit ex hoc pane, viuet in æternum*: &; *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hæc, & id genus alia, quid nam aliud significant; quàm Eucharistiæ Sacramentum esse *viaticum?* Quid enim nomine *viatici* aliud intelligitur, quàm id, quo quis in via emetienda conseruatur, roboratur, vegetatur; vtque ad metam incolumis pertingere queat, efficaciter adiuuatur; &, vt vno verbo omnia complectar; quo vitam conseruat, & propagat: cuius generis sunt esculenta, & poculenta, & similia vitæ adminicula; itemque pecunia, qua quis escam, & potum sibi comparare valet. Cùm ergò hæc sit *viatici* notio; quis non videt, Eucharistiam aptissimè *viaticum* nominari: cùm nobis det vitam, & quidem excellentem vitam, nempe vitam in Christo, effectusque vitæ excellentis; vires validas; quibus præditi, *viam mandatorum Dei*, vt alacriter, ita & celeriter decurrimus, & ad supernæ vocationis brauium inoffenso pede tendimus. Itaque, qui *viatici* notionem & opinionem ex mortalium præcordiis exterminare contendit; quid aliud molitur, quàm, vt omnibus Christi de fructibus & effectibus Eucharistiæ promissis fidem detrahat: quando quidem omnia

illa, nil nisi *viaticum*, & oculis & animis nostris subiiciunt.

V. ratio: *Ne quis arbitretur, Christum fidelibus non esse præsentem, nisi in externo Cœnæ vsu.*

Respondeo, ex Caluinistis quærendum esse; quomodo censeant Christum fidelibus esse præsentem extra Cœnæ vsum? An secundum humanitatem, seu humanam naturam? Hoc equidem nunquam affirmabunt, nisi cum *Vbiquistis* tandem dextras iungere, foedusque à Nouatoribus istis diu concupitum inire velint; & refigere suum illud decretum; *Christum secundum humanam naturam in solo cælo residere; quin etiam cælo capi.* An secundum diuinitatem? Atqui bardum esse oporteat, qui ignoret, Christum, vt Deus est, omnibus siue in Cœna, siuè extra Cœnam æqualiter præsentem adesse. Neque vllo modo efficit Eucharistiæ vsus, & esus, vt quis opinetur, Christum secundum diuinitatem magis esse sibi præsentem in Eucharistia, quàm extra.

At quia Caluinistæ animaduertunt, hanc esse Christianis insitam existimationem, Christum peculiari modo fidelibus in Eucharistia esse præsentem, quo præsens non sit extra Eucharistiam, nimirum præsentia corporis, & sanguinis sui; itemque præsentiâ peculiaris & Sacramentalis gratiæ: hinc in id toti incumbunt, vt hanc persuasionem, vel, vt rectius loquar, certissimam, & fundatissimam fidem, penitus obliterent, ac eradicent, tanquam Caluinismo parum conducibilem.

Deinde, si Caluiniani tam sedulò cauent, ne gregis sui *hirci* arbitrentur, Christum sibi aliter non adesse, quàm in vsu Cœnæ; tollant totam suam Cœnam. Hac enim penitus sublata, & supra Mæotidos paludes ablegata, periculum non erit, ne Caluiniani pulli existimatione illa

illa corripiantur. Certè huc tendere videntur omnes Caluinianorum conatus, vt tandem omnia Sacramenta mortalibus eripiāt. Quina iam suis ex synagogis exturbarunt. Reliqua fecerunt duo. Num re? Nequaquam. solo nomine reliqua fecerunt. Quò tandem progredientur?

Addunt Caluinistæ: *Exterminatione communionis priuatæ apud ægrotos, assuefaciendos esse homines, vt norint: Cœnam non tantum tunc, quando percipitur; sed etiam tunc, quādo, necessitate exigente, non nisi semel, vel etiam nunquam, præterquam voto, percepta est, fidelibus esse Sacramentum, sigillum, & testimonium constantis cum Christo coniunctionis, & vnionis.*

Verùm hæc omnia eò destinantur; vt Caluinistæ nō tantùm ægris, sed & firma valetudine præditis omnem erga sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum affectum, & cupiditatem adimant. si enim idem est, semel communicasse, seu, vt ipsi loquuntur, *Cœnam sumpsisse*, quòd sæpius communicasse, seu *Cœnam sumpsisse*: quiuis Caluinista nullo negotio, hunc in modum ratiocinari secum poterit. *Iam semel cœnam sumpsi; quid opus est, vt denuò sumam?*

Dicis; *hoc valere in casu necessitatis, non extra, idq; disertè ab istis tradi.* Audio: sed simul etiam considero, hanc adiectionem, non nisi Caluinianæ malitiæ velamentum esse. Quæ enim necessitas vrget; vt ægris in vniuersum Eucharistiæ Sacramentum denegetur? Nam fieri posse, vt hic, vel ille Sacramenti huius particeps effici nequeat, nemo abnuit: sed vt generatim omnes infirmi hoc subsidio spolientur; idque titulo *necessitatis*, quasi Sacramentum hoc, seu, vt ipsi vocant, *Cœnam* percipere non possint, id dico versutiæ & nequitiæ Caluinianæ argu-

mentum esse. Necessitas enim, quam comminiscuntur, nulla est: quod, cui mens sana, facilè videt, si oculos aperire velit. Ab ægris videlicet exordium ducere voluerunt; necessitatis prætextu; vt inde ad eos, quibus corporis valetudo ad huc constat, gradum faciant. Caluinismus enim ad omnia Christianæ religionis symbola exturbanda natus est.

Et quamuis votum Eucharistiæ percipiendæ, casu, quo re ipsa percipi nequit, summam vtilitatem parere non diffiteamur; nemo tamen inficias ire potest; aliud esse, reipsa Sacramentum percipere; aliud, solo voto, & desiderio. aliud item, semel hoc Sacramento potitum esse: aliud, sæpius. Aliud item, Christum Christiano esse cibum, & potum, si fide apprehendatur; aliud, Christum Christiano esse cibum, & potum, si in Eucharistia sumatur; aliud denique, Christum fidelibus esse cibum, & potum per gratiam; qui cibus, & potus semper durat; quandiu gratia per capitale scelus nō deperditur: aliud, Christum fidelibus esse cibum, & potum per realem Eucharistiæ sumptionem: in hac enim Christi corpus, & sanguinem *verè*, *realiter*, & *substantialiter* præsentia habemus & manducamus.

Quod Caluinistæ dicunt; *doceri in papatu, finita cæna*, vt ipsi loquuntur, siue, vt vsitata phrasis habet, *transacta Eucharistiæ sumptione, finiri pariter præsentiam, communionem, & fruitionem corporis, & sanguinis Christi*, donec quis ad Eucharistiæ perceptionem reuertatur: id mendacium est, si loquantur de præsentia, communione, & fruitione corporis, & sanguinis Christi per gratiam: hæc enim constanter perseuerat; si verò loquantur de ipsa vera, reali, & substantiali præsentia, communione, & fruitione corporis & sanguinis Christi, non inficiamur, eam desinere,

quan-

quando ſpecies Euchariſticæ deſinunt. At cauſa nulla eſt, cur hîc nobis Caluiniſtæ obſtrepant. Quia ipſi ne in ipſa quidem ſumptione corpus, & ſanguinem Chriſti, verè, realiter, & ſubſtantialiter ſuis porrigunt: licet non ceſſent fumos vendere: & his ipſis vocabulis, ſenſu tamen diuerſiſſimo, imperitis fucum facere. Præterea, ne poſt cœnam quidem ſuam quidquam cœnatoribus ſuis relinquunt reliquum, excepta neſcio qua *imputatione iuſtitiæ, diuiniq́; fauoris*, & obſignatione cæleſtium promiſſorum, non in cælo, ſed in Caluini domo nata. Cùm igitur iſti ſua in cœna ſuis ſiue ſanis, ſiue ægris, neque Chriſtum verè, & realiter; neque gratiam in hærentem tribuant; nos autem vtrumque tribui, firmiſſimè, & ſanctiſſimè credamus; nimium profectò impudentes ſunt Caluiniani, cùm de nobis ita ſcribunt: quaſi ipſi potiorem, quàm nos præſentiam Chriſti in Euchariſtia ſtatuant: Chriſtumque fidelibus *præſentiorem*, vt ſic dixerim, quàm nos, exhibeant.

VI. Ratio: *Ne qui pœnitentiam vſque ad horam mortis, cœnamq́; ægrorum differant; vt plerunque extra reformatas Eccleſias vſu venit.*

Reſpondeo; ſi Caluiniſtas hæc cauſa mouit, vt è medio tollerent cōmunionem ægrorũ, tollant etiam è medio ipſam pœnitentiã, qua multi freti, vſque ad extrema vitæ tēpora in ſceleribus & flagitiis perſiſtunt. Quãquam pœnitentiam, vt Sacramentum eſt, iam pridē ſuſtulerũt. Reſtat igitur, vt & illam, quã adhuc admittunt & agnoſcunt, pœnitentiam, qualis qualis illa ſit, ſimiliter procul hinc faceſſere iubeãt: quandoquidē multi ſpe, ſub nouiſſimam horã agendæ pœnitentiæ, audacter vitiis ſeſe dedunt, & in omne voluptatis gen⁹ proruunt. At vbi auditũ eſt; remedia & medicamēta propter effrenatorũ quorundam audaciam, & temeritatem ſublata eſſe?

De-

Deinde falsum est, quod isti asserunt; si de Catholicis hoc asserunt, quibus compertum est; Eucharistiam, non esse per se Sacramentum *mortuorum*, sed viuorum, ac proinde requiri, vt, si in articulo mortis Eucharistiæ sumptionem sibi fructuosam esse velint, seriam pœnitētiam, & confessionem suorum criminum præmittant. Quapropter, vt pœnitentiam non negamus illis, qui vel serò conuertuntur, dummodò seriò conuertantur; ita nêque Eucharistia illis deneganda est; qui vel serò eam expetunt, dummodo seriò expetant. Olim spe omnia peccata per baptismum expiandi, quidam in longinquū tempus baptismum procrastinabant. An ideo baptismus procrastinatus & diu prorogatus, de medio tolli, & vel serò venientibus administrari nō debebat? Quàm sanctè facerent Lutherani, & Càluiniani, si *solam illam fidem suam* ad salutem, vt somniant, abundè sufficientem ex tota republica Christiana proscriberent. quia multi huius fidei inanissima, & vanissima fiducia, nihil scelerū non perpetrant.

VII. causa. *Vt quàm longissimè à papatu abscedatur*; cùm vniuersa hæc consuetudo ex papatu profluxerit. Respondeo, si Caluinistis tanta est cura, sese quàm remotissimè à *papatu* seiungendi, Turcismum, aut Iudaismum amplectantur, & pluribus parasangis, quàm modò, à papatu dissiti erunt. Quod autem morem Eucharistiæ ægris præbendæ *ex papatu* manasse aiunt; gratias agimus. Hac enim assertione testantur *papatum* esse antiquissimū: quia antiquissima cōsuetudine solebant fideles, etiam priuatim, cælestem hunc cibū sumere, ægrotisq́; impertire; vt suprà dictum, & pluribus exemplis id planum facit Bellarminus: nec diffitentur Nouatores.

Bell lib. 4. de Eucharist. cap. 4.

VIII. ratio: Vult Paulus 1. Cor. 11. *vt ne quiuis priuatam*

tam cœnam domi instituat. Respondeo, neque Catholicæ Ecclesiæ morem; aut mentem hanc esse, vt quiuis intra priuatos parietes Eucharistiæ Sacramentum sumat. In Ecclesia enim communicant illi, quibus hoc per vires, valetudinem, & libertatem conceditur. Addo *per libertatem*, propter illos, qui vel carcere attinentur; vel ob infidelium insidias, & exagitationes, non nisi priuatim huius cælestis cibi participes reddi possunt. Extra hos casus, in templis ad id destinatis, & consecratis Eucharistia administratur, & distribuitur.

Post has adeo inanes, & futiles negatæ, negandæque Eucharistiæ ægrotis causas; soluunt Caluinistæ rationes, quæ pro communione infirmorum adduci solent: quas non multùm moramur. quia pleræque sunt à Lutheranis, & Lutheranum fermentum olent. Nobis sat argumentorum præbet communis fidelium existimatio à maioribus nostris ad hanc vsque ætatem propagata: pium, sanctum, addo, & aduersus impressiones Dæmonum, necessarium, hunc Eucharistiam ægrotis priuatim prorrigendi morem esse. Quæ verissima, & saluberrima opinio, ita Christianorum pectoribus insculpta hæret, vt neq; ex Lutheranorum cordibus planè eximi potuerit: quibus priuata hæc ægrorum communio adhuc vsitata est. Imò, non desunt ex Caluinistis, qui sibi hunc morem eripi nequaquam sinant; vt fatentur ipsi Embdenses, citata Heidelbergensi *Agenda*, vt vocant.

Qua de re hæc etiam Hospinianus Caluinista; *In reformatis* (reformatione Caluiniana) *nonnullis Ecclesiis, retinetur priuata & extrema ægrotantium communio, & morte plectendorum, vt per corporis, & sanguinis Dominici sumptionem, confirmatiores in fide, & ad resistendum tentationibus satanæ, sustinendosq; mortis dolores, instructiores reddantur.*

Hospin. lib. 2. hist. Sacrament.

ſubiungit Caluiniſta hanc huius moris cenſuram: *Iſtam conſuetudinem non prorſus damnandam cenſuerim.* At, qua cautione? *Modò fiat aliquis cœtus ex cognatis, familiaribus, & vicinis*, (qui ſimul cœnent) *& fiat diſtributio ex mandato Chriſti*, &c. *&, ne panis, tanquam ſacer, è templo afferatur, & in pompa geſtetur.* hæc ille Caluiniſta.

Simili cautela tolerant, licet inuiti, priuatam ægrorum Cœnam Caluiniani Embdenſes; adiungunt tamen, planiſsimam, & expeditiſsimam viam eſſe hanc; *vt Cœna ægris negetur. ne plus, vel propemodum æquè multum ſpei in cœna collocent, ac in Chriſto: & ne quis in caſu neceſsitatis ad hæc externa ſymbola nimium adhæreſcat: melius enim eſſe cœna carere, quàm quidquam in eius vſu contra inſtitutionem, mandatumq́; Chriſti patrari.* Et hanc planiſsimam, facillimam, & expeditiſsimam ad inferos viam, Caluiniani in dies magis, atq; magis ineunt, percurrunt, & decurrunt; alioſque ad eandem terendam certiſsimo animarum exitio inuitare non ceſſant.

Hîc duo obſerua. Primum; quàm pulchrè Caluiniani in ſua cœna conſonent, & concinant. Secundum; qua fronte, & mente concedant aliquibus ægris cœnam; ſi cœna *clinica* (ſic enim à Cynicis Caluiniſtis noua nomēclatura nominatur) repugnat inſtitutioni, & mandato Chriſti; etiamſi plures conueniant, qui cum infirmo cœnent; & ſic cœnam non priuatam, ſed publicam ineant, quandoquidem eam ineunt in congregatione, & cœtu fidelium; quod ſatis eſſe ad publicam cœnam; licet in priuatis ædibus inſtitutam; docet Hoſpinianus. Nam hac etiam conditione poſita, non obſcurè indicant Caluiniſtæ Embdenſes, ægrorum cœnam, vt inſtitutioni, & mandato Chriſti contrariam ſibi diſplicere, ac proinde exterminandam eſſe.

Inter

Inter cetera argumenta, quæ Caluiniſtæ ſoluere nituntur, hoc itidem vnum eſt; *Veteres appellarunt hoc Sacramentum viaticum pro moribundis, ſeu in periculo mortis verſantibus: ſi ergo viaticum eſt, minimè eo fideles defraudandi ſunt.*

Reſpondent Caluiniſtæ; *hanc appellationem non reperiri apud priſcos, puroſq; Doctores: id tamen à Gregorio memoriæ proditum, ſed valdè dubiis verbis. his nimirum, lib. 7. Epiſt. 62. Apparet, quod cœnam Domini viaticum nominauerint.* At ſi Caluiniſtæ ipſam D. Gregorij 62. vel, vt noua habet editio, 63. Epiſtolam *ad Ioannem* Epiſcopum Syracuſanum inſpexiſſent, non, vt opinor, Magdeburgenſibus Centuriatoribus, eo, quo ipſi, pacto, verba D. Gregorij citantibus, fidem habuiſſent. Hæc enim ſunt verba D. Gregorij; *Hoc tamen ſolicitè vos prouidere neceſſe eſt; vt his, qui mortis vrgentur periculo, viaticum non negetur.* Hæc, inquam, ſunt ipſiſſima D. Gregorij verba, non illa, quæ nobis, cum Lutheranis impoſtoribus Caluiniſtici impoſtores apponunt. Vbi vides, abſolutè à D. Gregorio Euchariſtiam vocari *viaticum*: mandariq́ue, ne verſantibus in diſcrimine mortis, denegetur. Vbi ergò ſunt illa admodum *dubia verba*, quæ Caluiniſtæ comminiſcuntur? Nam, quod dicunt; *hanc appellationem apud veteres, & puros Doctores non reperiri*, id Caluinianis calumniis adſcribas licet. Eò enim hæc criminatio tendit: vt S. Gregorium, neque *vetuſtis*, neque *puris* Doctoribus annumeremus. At, quis vetuſtior, ille ne, qui ante mille annos in Eccleſia Dei ſanctimonia, & doctrina, admirabiliter floruit, an ille hæreſiarcha, qui ante quadraginta, & aliquot annos miſeram; hoc eſt, hæreticam animam Geneuæ efflauit, & ad Orcum demiſit? Quis purior, ille ne, qui angelicam vitam duxit, & ſubtilitate mentis cæleſtia pro-

Cent. 6. cap. 4. col. 231.

fundiſsimè, & acutiſsimè perſcrutatus eſt: an ille, qui impuritatem vitæ vltricibus flammis luere debebat, ſi magis iuſtitiæ, quàm clementiæ ratio habita fuiſſet?

Sed hæc duntaxat præludia fuêre earum criminationum, quas iſti in S. Gregorium euomere parabant. Aiunt ergò, I. *Papatum ſub Phoca Imperatore mirabiliter inualuiſſe.* Longè ergò antiquior eſt *papatus*, quàm Caluiniſmus: cùm ille, minimum mille annos ferat, etiam Caluiniſtarum teſtimonio; iſte, vix quinquaginta. Nam ſi *papatus* ſub Phoca Imperatore, hoc eſt, eo tempore, quo S. Gregorius ſedem Apoſtolicam tenebat, vehementer inualuit; oportet eum etiam antea fuiſſe. Nam illud *inualeſcere* dicitur, quod incrementa ſumit: illud autem incrementa ſumit, quod antea exſtitit.

II. dicunt; *Gregorium fuiſſe Papam.* adde, ſi lubet, & *Papiſtam.* Quid mali, fuiſſe *Papam*, & *Papiſtam*? Forſan inter Caluiniſtas non nemo eſt, qui *Papiſta* fieret, ſi certò ſibi, ſe *Papam* fore, perſuadere poſſet.

III. dicunt; *Gregorium fuiſſe Monachum.* At Lutherus quoque, & multi ex præcipuis noui Euangelij columnis, Monachi fuerunt. Num ideo minore ſunt in precio apud Caluiniſtas?

IV. dicunt; *Gregorium multa ſuperſtitioſa in Eccleſiam introduxiſſe: falſisq́; miraculis imperitam multitudinem multipliciter dementaſſe.* At ſiquis conſideret, qui nam ſint iſti, qui hoc Gregorio obiiciunt; & quis nam Gregorius, cui hoc obiicitur; is, vel ſolo Gregorij nomine audito, Gregorium ab hac accuſatione abſoluet: iſtoſque ſycophantarum, & conuiciatorum ſtigmate notari iubebit: præſertim, ſi perpenderit, impudentiam iſtorum non tantum in ſanctiſsimum Pontificem Gregorium, ſed & vniuerſim in omnes veteres graſſari. Hinc illa vox plena infru-

frunitæ, & petulantiſsimæ audaciæ: *Non omnia, quæ vete-res egerint, probanda eſſe. Videndum quid Verbo Dei conſentaneè geſſerint. Non eſſe quæſtionem, quid à priſcis actum, ſed, quid rectè actum. Exemplum Serapionis apud Euſebium lib. 6. cap. 44; & Ambroſii, vt in vita eius proditum eſt, Euchariſtiam ſub extremam vitæ horam ſumentium, cum ſacris literis non congruere.* Quem hæc tam dilucida, & ſole clariora impietatis, & deploratæ petulantiæ documenta, & argumenta moueant, vt his fidem habeat; veteribus fidem abroget: niſi eum, qui eôdem impietatis, & extremæ impudentiæ ſpiritu agitatur, & inceſsitur?

Hoſpin.

Neq; vel Emdēſes, vel Hoſpinian⁹, vel alij Caluiniſtæ vnquã ex D. Gregorio, vel aliunde probabunt; nomē *viatici*; vel, morem ægrotis Euchariſtiam dandi primùm D. Gregorij tempore natum eſſe. Et Hoſpinianus planè effrons eſt, cùm ſcribere non veretur, D. Gregorium *teſtari epiſt. 62. circa ſua tempora Euchariſtiã viaticũ nominari cæpiſſe.* Hoc enim nullo penit⁹ modo ex prædicta D. Gregorij epiſtola colligitur, vt patet ex verbis ſuprà recitatis; quia abſolutè, tanquã trito, & vſitato, & omnibus noto vocabulo nominat Euchariſtiam *viaticum*: nec vel tenuiſsimo indicio innuit, hanc vocem ſuo demum æuo exſtitiſſe, aut à ſe cuſam eſſe.

Imò, vt *communio ægrorum* expreſsè, ita vocabulum *viatici*, quod Græcis ἐφόδιον, nõ obſcurè colligitur ex Canone 14. Concilij Nicæni apud Ruffinum, qui eſt iſte: *De his verò, qui vita excedunt, pænitentibus, decernunt, vacuum nullum debere dimitti. ſiquis ſanè accepta communione ſuperuixerit, debere eum tempora ſtatuta complere.* Quid eſt *vacuum* aliquò dimitti, quàm dimitti ſine viatico? Quid eſt *non vacuum* aliquò dimitti, niſi viatico inſtructum dimitti, idque ex communi ſentiendi, & loquendi conſuetu-

Ruffin. lib. 1. hiſt. cap. 6.

dine? Hoc ipſo ergo, quòd patres Nicæni Concilij loquentes de Euchariſtia, ſeu communione moribundis porrigenda, hunc loquendi modum vſurparunt: ſimul etiam teſtatum fecerunt, Euchariſtiam, ſeu communionem, *viaticum* eſſe; qua, qui inſtructus ſit, is viam ingredi *vacuus*, hoc eſt, ἐφοδίῳ, ſeu *viatico* deſtitutus, minimè cẽſeri queat. Et quæ hæc temeritas Hoſpiniani, cùm præciſè inficiatur, hunc canonem apud Ruffinum exſtare? Qua temeraria aſſeueratione inducti, abſque temeritate nobis perſuadere poſſumus; ipſum, aut Ruffinum non legiſſe; aut ſomno, vel vino grauatis oculis legiſſe: aliôqui Canon tam manifeſtus; vix apertos oculos fugere potuiſſet.

Accedit huc geminus Canon Concilij quarti Carthaginenſis longe antè D. Gregorium celebrati, in quorum vtrôque Euchariſtia nominatur *viaticum*. Septuageſimus ſeptimus ſic habet: *Pœnitentes, qui in infirmitate ſunt, viaticum accipiant.* Septuageſimus octauus eſt iſte; *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.* Quomodo igitur nomen *viatici* æuo D. Gregorij, vel circiter exſtitit?

Prætereo alia, quæ illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus adducit pro demonſtrando more aſſeruandi Euchariſtiam: qui mos, potiſsimum ægrotos attingebat, vt & nunc attingit: ne, ſiquis, vt fit, ſubita ægritudine corriperetur, abſque cõmunionis ſubſidio ex hoc mundo dimitteretur.

Adſtipulãtur huic cõſuetudini ſacraria illa, quæ vulgò ab Germanis appellari ſolent Sacrament häußle, imò & ab ipſis Nouatoribus alio nomine non afficiuntur, quando ita loqui volunt, vt ab aliis intelligantur. cuius

cuiuſmodi *cuſtodiæ*, ſeu *ædiculæ* paſsim in omnibus prope templis viſuntur, aſſeruando Sacramento exſtructæ & deputatæ. De quarum origine largiter profectò mentitur Hoſpinianus, cùm ſcribit, *caruiſſe Eccleſiam huiuſmodi ſacellis, thecis, arcis, ciboriis, & ædiculis mille ducentos totos annos à nato Christo, nimirū vſq. ad tempora Innocentij III.* Nã quidquid ſit de tabernaculis, quæ hodie in templis Euchariſtiæ aſſeruandæ, vel in ipſis altaribus, vel extra altaria exſtant, id antiquitatis teſtificatione compertum eſt; Euchariſtiam ſemper in Eccleſia aſſeruatã eſſe; & locum aſſeruationis *paſtophorium*, quaſi *thalamum*, dictum eſſe; vt & ab aliis, *ſacrarium*, liquet ex lib. VIII. Conſtitutionum Clementis Romani; & ex eiuſdem epiſtola ſecunda, vt alia alibi tractanda, & diſcutienda omittam. Legatur Turrianus lib. 4. pro epiſt. Decret. Pontif. cap. 19. & in ſcholiis ad octauum librum Clementis.

Hoſp. lib. de Templis.

Porrò ipſa etiam tabernacula, in quibus hodie venerabile Sacramentum cuſtoditur, antiquiora eſſe, quàm Caluinianus iſte exiſtimet, euincunt templa Innocentio III. antiquiora; in quibus huiuſmodi tabernacula comparent. Nec mirandum, ſucceſſu temporis locum aliquem omnium oculis expoſitum Euchariſtiæ ſeruandæ deſtinatum fuiſſe. Par enim erat, vt ſemper magis, atque magis, etiam externus Sacramenti huius cultus adaugeretur.

CAPVT XIII.

De S. Euchariſtia, vt eſt ſacrificium.

INSITAS mentibus de priſca religione notiones eripere perquam arduum eſſe, non ſemel animaduertit, palamque teſtatus eſt Lutherus. Quapropter, quando dogma aliquod Chri-

Christianæ & Catholicæ fidei demolitū & euersum ibat, plerumque initio impressionis, & oppugnationis communes istas, animisque altè impressas, & infixas conceptiones, & persuasiiones penitus delere, & obliterare studebat. Hoc, cùm aliâs, tum præcipuè in libro *de abroganda missa priuata* per summam impudentiā fecit. Postquam enim furiosissimè nonnulla in sacerdotium, & sacrificium Christianum euomuerat, subiecit; *Certus sum, vbi talia audierit imbecillior conscientia* (nondum Lutherano callo obducta) *simulq; intenderit in copiosissimam illam multitudinem monasteriorum, & templorum, in quibus quotidie infinitæ Missæ habentur, ægrè creditura sit*: (Et quis crederet, cui sanum saltem sinciput, si non & occiput?) *tantam turbam quotidie perire, & tot peccatis mundum oppleri, cùm vulgo citra omnem controuersiam persuasissimum sit, omnes homines istorum Missis iuuari*, &c. (Et vnde hæc tam constans, & per totum orbem ante Lutheri apostasiam diffusa opinio; nisi è cælo? Vnde contraria Lutheri, nisi ex Orco?) *Incredibile enim videtur* (imò prorsus ab omni fide abhorret, & omnia prorsus paradoxa transcendit) *sic esse derelictum totum Orbem à Deo*: (Et quidem per tot secula, vsque ad infaustissimam Lutheri defectionem; vt idololatricum sacrificiū Deo quotidie infinitis propemodum in locis immolaret:) *sed quid facies?* (In promtu est, quid faciam. Non præbebo clamoribus tuis aures; non patiar, vt à teneris vnguiculis innatam mihi de præstantia, & sanctitate Missæ existimationem ex præcordiis meis expungas. Abominabor, detestabor, execrabor contraria persuasione inficere, vel potius incestare volentem:) *scriptura diuina sic definit*. (Vbi? quo libro? quo capite libri? quo capitis versu?) *Cui credendum est, etiamsi totus mundus, & omnes Angeli vel perirent, vel aliter docerēt*.

(Rectè

(Rectè mones, scripturæ credendum esse. Quia enim scripturæ credo, tibi, tuisque somniis nec credo, nec credam, etiamsi ringereris, vel rumpereris. Non est quæstio, num scripturæ, sed, num tuis phātasiis habenda sit fides. Tu ais habendam: ego, nego; negatque mecum vniuersus, qui te præcessit, orthodoxus orbis.)

Firmanda est conscientia, inquit Lutherus, *aduersus ista obiecta.* At qua anchora firmabis conscientiam aduersus totius mundi vnanimem consensionem, nisi mentis hebetudine, stupore, & profundissima cæcitate: quæ profectò sunt malè tuta firmamenta, & fulcra? Quanto rectius quiuis Christianus firmabit conscientiam suam aduersus insanas vociferationes tuas fortissimo illo, & penitus adamātino argumento, quod à palpitāte, & tremulo corde tuo, tu ipse tibi non semel obiectum testaris; *Tu solus sapis? Totúe errant vniuersi? Tanta secula ignorarunt? Quid si tu erres? & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Quam primum, Luthere, hoc argumentum repudiasti, & immotum hoc fulcimentum animo tuo subtraxisti, corruisti, & in profundum, quasi lapis descendisti. Nam quod ais; *Tandem confirmauit me verbis suis certis & fidelibus Christus*; valdè & validè erras; nō Christus te confirmauit, sed Diabolus te arrogātiâ plus quàm Thrasonicâ, audacia plus quàm desperata, impudentiâ plus quàm cynica, insania plus quàm maniacâ, & obstinatione plus quàm Tartarea, aduersus antiquitatis, & priorum seculorum fidem, & dogmata, armauit; effecitque, vt iam tibi cor *nec tremat, nec palpitet*; sed omnibus indiscriminatim absque fronte insultet. Hæc prælocuti progrediamur ad Eucharistiam, vt est sacrificium.

Auspicemur ab ipso *Missæ* vocabulo; quod, siue origine Latinum sit; siue Hebræum, siue alterius idiomatis;

id nihil ad nos in præsenti. Vndecunque natales suos repetat; hoc liquet, Germanos inde accepisse vocem suam Meß; seu, vt Saxones, propius ad Latinam dictionem accedentes, Miß. Quid hæc vox sibi velit, non ignorant Sectarij, quemadmodum nec illud; tam vsitatam apud omnes esse; vt ipsi infantes, inter prima propemodum vocabula, quæ balbutiendo efferunt, hanc etiam efferant, tanquam rei sacræ symbolum.

Dicant Prædicantes, quando hæc vox ad Germanicam linguam accesserit? Certè non ante Christiànismũ susceptum: neque enim vocabula religionis propria, ipsam religionem antecedunt: si post Christianam fidem apud Germanos introductam; designent, oro, tempus: nec tamen poscimus signatè mensem, aut diem; tam restricti non erimus; designent annum, quo hac voce Germanicus sermo auctus est, post Christiana sacra iam in Germaniam importata. Sed hoc demonstrare non possunt, ringantur licet. Quod argumento est, vocem hanc, atque adeò rem hac voce significatam, cum ipsa Christiana fide ad Germanos venisse; ac proinde, nihil penitus causæ esse; cur, post tot secula, vocabulum hoc, cum suo significato, extra Ecclesiæ limina cum hæreticis eliminemus: nisi enim vox sancta, reiq; sanctæ index esset; nunquam à primis in Germania fidei plantatoribus, populo Germanico tradita fuisset.

Nam quod isti post tot annorum centurias clamant, esse *vocem idololatricam* : *significatumq; illius non tantum censeri debere idololatricum*, *sed ipsam idololatriam*; frustra sunt, apud prudentes quidem, & qui rerum momenta lance iusta expendunt. Nec, quod obseruatione dignum, vox *Missa*, ad Germanos duntaxat, non nihil inflexa, sed & ad Græcos transiit; substituta in locum vocis

litur-

liturgia, vt ex Leonis Imperatoris Constitutionbus bellicis, & ex libris eiusdem argumenti Mauricij docet in suo glossario Rigaltius, *verbo*, μίσσαι. Sed hoc obiter.

Istud attentius & accuratius. Germani *mercatus* seu *nundinas* celebriores, vt sunt his tẽporibus FrancKofordienses appellant Meß. Quis enim est, qui nesciat, Die Franckforter Meß? vocabulo nimirum à re sacra, quæ Latinis *Missa*, Germanis Meß, ad mercatum translato. Nam ad Ecclesiarum dedicationes, seu Encænia, eorumque quotannis repetitas celebritates, occasione cultus diuini, & *Missarum* (Der messen) ingens hominũ multitudo confluebat: &, cum tanta multitudine, etiam mercatores, vt rem facerent; sicut fieri assolet frequenti mortalium cōcursu; vbi permutandis vel distrahendis rebus commoda offertur occasio; aliis huius, aliis alterius mercis indigentibus. Hodie etiam vix exiguæ Ecclesiolæ encænia anniuersaria peragi videmus; in quibus non compareant aliquot institores.

Hic igitur mos à pietate, & religione erga *Missam* celebrari solitam natus; nomen *Missæ*, seu der Meß, ad ipsam hominum inter se contrahentium multitudinem transtulit; conuentumque illum Germanicè Meß nominauit; à re sacra; quæ linguæ nostræ Meß. Nec alia incunabula huius vocis reperient Prædicantes, in quascũque demum partes sese vertant; & quoties hæretici nũdinas istas celebriores, & illustriores, suo, hoc est, Germanico nomine Meß nominant; toties produnt, sese ab eorum religione discessisse; quorum ardentissimo ergà sacrosanctum *Missæ* sacrificium studio, & confluxu factum est; vt nomẽ hoc à sacra *Missa* transferretur ad mercatum

Occlamant; *Missam esse plenam idololatria*. At negant

Germani antiquiſſimi; quorum aduerſus Miſſam pietas occaſio fuit; vt nundinæ celebratiores, *Miſſæ* nomine afficerentur. Quibus potius credendum? Num vetuſtiſſimis illis; an his nuperrimis, ſoboli à maioribus prorſus degeneri?

Nec illud ſilendum; Germanos æditui nomen à *Miſſa* dare. Vocant enim, Meſner; quod à Germanico Meß deducitur. Et hoc ideo; quia officium illius eſt, ſubſeruire *Miſſæ*. Retinent eandem appellationem pleriſq; in locis hæretici. Sed ſine re ſubiecta. Quò fit, vt hoc ipſo nomine teſtentur, ſe à maiorum ſuorum religione deſciuiſſe; qui æditui hoc nomen à *Miſſa* impoſuerunt.

Hoſpin. lib. 5. in fine.

Nō eſt hic ſilenda ſcurrilitas Hoſpiniani Caluiniſtæ, qui in Sacramētaria farragine potius, quam hiſtoria, ait; *Miſſam eſſe vocem Germanicam, quæ calebres & frequentes nundinas ſignificet. quemadmodum enim mercatores in eiuſmodi nundinis varios contractus exercent metiendo, quod Germani vocant* Mäſſen, *emendo, vendendo, vſuris, dolis, fraudibus, mendaciis, & ſæpe vitioſas merces pro bona pecunia extrudunt; ſic Miſſam pontificiam nihil aliud eſſe, quàm nundinationem &c.* Diabolica prorſus calumnia, & vltricibus Orci flammis vindicanda. Certiſſimum enim eſt, vocem Germanicam Meß, à Latina, *Miſſa*, originem ducere, non conrrà; cùm de *Miſſæ* vocabulo vetuſtiſſimi ſcriptores meminerint: quorū multi antè vixerunt, quàm Germanis lux Chriſtanæ fidei plenius affulgeret: vt patet apud Bellarminum lib. 1. de *Miſſa*, c. 1. Neque vlli veterum vnquam hoc commentum in mentem venit; quod ne ipſe quidem Caluiniſta ignorat, ſed voluit hoc conuicio gregalibus ſuis ilia riſu diſtendere, & nouitate ridiculi figmenti, nouam gratiam apud ſui ſimiles ſcurras, & βωμολόχους aucupari. Nam nundinas illas ex templorum

dedi-

dedicationibus, Sanctorumque patrociniis, & *Missis* in horum solennium celebritate celebrari solitis exstitisse; & à *Missis* nomen inuenisse, notius est, quàm vt ab vllo scurra negari seriò possit; à quibus ipsi etiam Diuis dicati dies *Missæ* dicti sunt. Hinc in legibus Francicis, *Missa S. Martini* lib. 2. c. 18, *Missa S. Andreæ* lib. 2. c. 20. *Missa S. Ioannis* lib. 3. cap. 23. pro his; Festum S. Martini, S. Andreæ, S. Ioannis.

Quæstio est inter Orthodoxos, & hæreticos, nũ Missa sit sacrificium; Negant isti perfidè. Affirmant illi religiosè. Probationes alias non afferam, quàm ex communi sensu, & vulgari more loquendi nostræ linguæ: quæ *Missam* nominat **Ein opfer**: Et cum addito, **das opfer der heiligen Meß**. Vel, vnica dictione, **Meßopfer**. Et sacerdos *Missam* celebrans, dicitur **Opfern**. Ipsum autem **Opfer** & **Opfern**, habent Germani à Latino, *offero*; sicut Latini à Græco, προσφέρω. Vnde apud Græcos *Missa* non raró dicitur προσφορά, *oblatio*, & quasi *offertorium*: à quo nostra Germanica vox **Opfer**, directè descendit. Nec voces istæ abstrusæ sunt, & reconditæ, & doctioribus tantummodo notæ ac tritæ. Nemo tam plebeius, aut rudis est; qui illis non vtatur; vt & hac, **Zum Opfer gehen**. Etsi tum alia notio subiicitur; significat enim oblationem fidelium ad altare; sed tamen potissimum tẽpore illius præcipuæ oblationis, hoc est, *Missæ*, offerri solitam. Nec Germanis alia vox suppetit, qua sacrificium significent, quam vox, **Opfer**.

Imò adeò liquidum, & dilucidum est, vocabulo Germanico **Meß** significari sacrificium; vt illud ipse etiam hæresiarcha & Archiphantastes Carolstadius confiteri coactus fuerit: quapropter grauissimè exprobrauit Luthero; *quod Cœnam Domini appellasset Missam*, **Ein**

Meß: *& interim sacrificium esse abnueret: cùm vnum, idemq́; sit; missam esse, vel missam appellari; &, sacrificium esse; vel, sacrificium appellari: eumq́, qui cœnam nominet Missam,* Ein Meß, *simulq́, inficietur, esse sacrificium, non intelligere, quid lallet*; vt videre est in Lutheri libro *aduersus cælestes Prophetas*, parte prima.

Lutherus quidem in omnes partes sese versat, vt hunc Carolstadianum ictum declinet; sed omnibus suis diuerticulis, nec vel hilum proficit. Nam vocabulũ Germanicũ Meß ex primæua, & primaria sua significatione, designare sacrificium, ne pueros quidem fugit. Quamobrem quoties sectarij cœnam suam vocant *Missam*; vel, quoties, vt aliquibus in more positum est, *Missam Germanicam*, se celebrare ferunt, toties nesciunt, quid dicant. Quia *Missa* est sacrificium. *Missam celebrare*, est sacrificare. si igitur cœna eorum non est sacrificium; & si Germanica illa in altari actio, non est sacrificium, tum neque est *Missa*; neque *Missa* vocari potest: nisi fortè Luthero, & Lutheranis tanta sit concessa potestas, vt ipsa etiam vocabula mutare, & de priscis significationibus detrudere queant: vel eo priuilegio gaudeant, vt rem alieno etiam nomine insignire valeant. Qua prærogatiua se pollere satis apertè indicat Lutherus, cùm in contemptum Carolstadij dicit; *se non passurum, vt quisquam impediat, si Sacramentum vocare velit* non modò *Missam*, sed & *Sacrificium*, Ein Opfer: non, quod credat esse *Sacrificium*; *sed, quia ita appellare lubet*. Cuius priuilegij vi, licebit Luthero, quamprimum lubebit, vinum nominare aquã; cereuisiam, mulsum; canem, leporem; bouem, equum; & vice versa. Satis de Luthero.

Ad hæc *Missam* esse sacrificium colligitur ex communi sensu & loquendi ratione de materia *Missæ*. Quis enim

enim rerum omnium tam imperitus eſt, qui non vel ipſe vocauerit, vel ab aliis vocari audierit panem illum, qui in corpus Chriſti conuertitur, **ein Hoſti**, *hoſtiam*: Item **ein Oblat**, *oblatum*, Quis neſcit *hoſtiam* ſpectare ad ſacrificium, vt & *oblatum*, cùm ſacrificium ſit *oblatio? Et* hæc quoque vocabula à Latinis in Germanicam linguã transfuſa, omnibus nota ſunt, & frequentata, etiam pueris, quibus deſiderium quoddam non ſine reuerentia, erga hunc panem innatum eſt: & cùm vix panem vulgarem nominare norunt; *hoſti*, & *oblat*, ingeminant: Vocabula nec Lutherana, nec Caluiniana; ſed vtrâque ſecta longè antiquiora, quia falſo prius eſt verum; priorque religio, quàm religionis deſtructio.

Effecit hæc *hoſtiæ & oblationis* vox, vt Caluiniſtæ ſimpliciter vocem cum re è medio exterminare tentarint: & loco *hoſtiarum*, & *oblatorum*, vt Germani Latinæ linguę veſtigia ſecuti vocant; panem *cibarium*, & *fermentatum* ſubſtituerint; impatientes ſplendoris illius, qui ex ipſis *hoſtiæ*, & *oblati* (**Hoſti, Oblat,**) vocabulis effulget.

Cauſas mutati nominis, & rei, alias non reddunt, quàm quas vbique reddunt, nempe, vt ſublatis cõmunibus vocabulis, communes itidem notiones de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia exterminẽt. quia, tam vocabula, quàm facta vetera nimis manifeſtè huic nouitati aduerſantur.

CA-

CAPVT. XIV.

Refutantur causæ, quas Caluinistæ ob sublatas hostias adferunt.

NVNC audiamus Caluinistarũ rationes omnis rationis expertes; quas reddunt, cur hostias eiecerint, re cũ voce simul ex pulsa.

I. *Quia Christus vulgari & cibario pane vsus est.* Respondeo, Christum vsum esse pane azymo, qui non erat vulgaris, nisi diebus azymorum. An non & nos pane *infermentato* vtimur? Aut si Caluinistæ omnino cum Græcis sentiunt, quæso paulo accuratius, & subtilius probent, quàm Græci hactenus fecerint, Christum pane fermentato in vltima cœna vsum esse. Posito igitur Christum panem azymum adhibuisse; vtpote, qui primo azymorum die Pascha comederit: nullam causam habent Caluinstæ, cur panem nostrum azymum, hoc est, hostias teretes ac rotundas repudient. Nam esto, Christum integro pane azymo vsum esse, quales nunc sunt panes nostri *fermentati*, an ideo prohibuit, ne hostiis, quos vocamus, *infermentatis* vteremur, singulis nimirum pro singulis, maioris commoditatis gratia?

Embdens. Caluinistæ lib. de ceremon. cœnæ.

Quod addunt Caluinistæ, *S. Paulum nullius panis speciatim mentionem fecisse*, id potius illorum, quàm nostræ causæ officit. si ipse nullius panis specialem mentionem fecit, cur vrgent panem fermentatum, & cibarium; de quo Apostolus, ipsismet Caluinistis testibus, nihil speciatim præscripsit? Cur repudiant panem azymum, eumque in formam teretem, ac rotundam coactum; (quem panem antiquissimo, & vsitatissimo vocabulo *hostiam* appel-

appellamus)cùm S. Paulus de hoc pane repudiando nihil peculiari aliquo mandato decreuerit?

Consultus ab Anglis Beza num azymus panis, isque forma tereti & rotunda in vsu cœnæ retineri posset, respondit, more suo, lubricè. vt quancunq; in partem res caderet, ipse in tuto consisteret. *Panis* inquit, *azymusne sit, an fermentatus, non magnopere putamus laborandum.* (Et tamen Caluinistæ tui iam magnopere laborant de fermentato, excluso azymo.) *quamuis communem panem sentiamus ordinationi Christi esse conuenientiorem.* (quomodo conuenientior, cum tu ipse fatearis, Christum pane azymo in institutione vsum?) *cur enim azymo pane vsus est Dominus, nisi quia per id tempus, quo sacram illam cœnam ipsi visum est instituere, nullus in Iudæa alio pane vtebatur?* cum Dominus pane azymo vsus fuerit, vt iste palam fatetur; quacunque occasione eo vsus fuerit; nullumque penitus de pane fermentato adhibendo voluntatis suæ indicium reliquerit, rectè faciunt, qui, relicto fermentato, panem azymum vsurpant, quandoquidem se cum Christo institutore & ipsa institutione conformant.

Beza epist. 12.

Pergit Beza. *Aut igitur azymorum festum simul restituatur oportet; aut fatendum est communem & omnibus vsitatum panem exemplo Domini rectius vsurpari, quamuis azymum panem Dominus adhibuerit: vt de veteris purioris Ecclesiæ more taceam, quem adhuc Græca Ecclesia retinet.* Nil opus, ô Caluinista, festo azymorum; quia *pascha nostrum immolatus est Christus*: Paschalemque solennitatem in azymis sinceritatis & veritatis positam agimus. sufficit nobis; quod eius generis panem ad Eucharistiæ confectionem adhibemus, qualem, te etiam teste, ipsemet Christus adhibuit; cuius sacra cœna minimè ad legale azymorum festũ pertinuit; fuit enim institutio festi & conuiuij, qua-

le ab orbis conditu nec visum nec auditum fuerat. Quomodo autẽ exemplo Domini, *communis*, hoc est; fermentatus panis, rectius vsurpatur, Si Dominus pane azymo vsus est? Græcæ Ecclesiæ fundamentũ nõ intelligit Beza: ideo enim fermentato vtitur, quia Christũ eo vsum existimat; tametsi perperam, Sed ad Embdenses quorũ hæc secunda ratio.

II. *Quia panis cibarius maiorem similitudinem habet cum cibo animæ, qui in manducatione carnis Christi consistit, quàm hostiæ, quæ vix pro pane agnoscuntur.* Sed ego non video, in quo hæc maior similitudo consistat: cùm panis noster azymus etiam in rotundam & teretem formam redactus, verè, & essentialiter panis sit; & qui hoc inficiatur; ille, ne cibario quidem pane, quo vescitur, dignus est. nisi fortè maior similitudo in hoc consistit; quod Caluiniani bolos, satis spissos, & crassos de tota sua massa defringunt, iisque ora complent, & farciunt, ita vt buccæ turgeant, & tumeant; dentesque obiectum panis frustũ commolentes, crepitent, donec tandem in ventriculum traiiciatur, non sine bono & largo temeti haustu; quia in Caluiniana synodo Londinensi cap. 2. præcipitur, vt in vsum cœnæ promatur *vinum bonum, & salubre* (ne scilicet noceat valetudini) *& quidem in œnophoro nitido, & mundo,* ne Caluinianæ deuotioni nauseam pariat.

III. *Quia nomen hostiæ suspectum est, ac periculosum.* Caluinistis videlicet, & Caluinianis placitis; quæ ab *hostiæ* nomine, vel sola auditione accepto, redarguũtur: significat enim sacrificium apud Christianos. At cuius rei? Corporis, & sanguinis Christi; quandoquidem Christiana religio nullum aliud veri nominis sacrificium agnoscit.

At vide impudentiã Caluinisticã. *Hostia,* inquiũt *fuit, & signi-*

significat sacrificium Ethnicum: quia, Hostibus à domitis hostia nomen habet. Itane hostia sacrificium Ethnicum significat? Ergò Ethnica sacrificia fuisse oportet illa; quæ scriptura vocat *hostias?* Ergò sacrificium in Cruce fuit Ethnicum: quia vocatur in Epistola ad Hebræos *hostia.* Si vox Latina *hostia*, tã periculosa & suspecta est; cur toties in sacris literis vsurpatur non modò ab interprete nostro; sed etiam à Nouatoribus, tam illis, qui Biblia Latinè, quàm illis, qui vernaculè conuerterunt? Vanissimi mortalium: *hostia*, nomen bonum est; religiosum, ac sanctum: siue sumatur pro re, quæ sacrificatur, siue pro ipsa sacrificandi actione; quia sacrificium nomen bonum, religiosum & sanctum est: quis enim vnquam dixit; nomen *sacrificij* esse *suspectum, & periculosum*? At hostia & sacrificium synonyma sunt.

Nam quod Ethnici hostias, & sacrificia idolis, hoc est, dæmonibus obtulerunt; quid ad nos, quibus compertum, nulli, nisi soli vero Deo hostias offerri debere? Ethnici obtulerunt idolis etiam vota & preces. Num ideo nomina *voti & precum* erunt suspecta & periculosa? Nemo præter pediculosum Caluinistam, id affirmauerit. Et quamuis *hostibus à domitis hostia* nomen sortiatur, id nihil refert: quia etiam Iudæi ob deuictos hostes *hostias* Deo immolabant, tam propriè dictas; oues videlicet, boues, & similes, quàm impropriè dictas, vt sunt preces, gratiarum actiones, ieiunia, & alia de genere eodem.

IV. *Quia per istas hostias confirmatur sacrificium Missæ.* Ita est. Ipsum hostiæ vocabulum impietatem Caluinisticam non leui ictu ferit. Quapropter aquæ & ignis interdictione mulctatur à Caluinistis.

V. *Quia populus sibi persuadet, non posse cœnam absq;*

 hosti-

hostiis celebrari : inque hoc ritu non necessariam necessitatem statuit. Absolutè quidem alio in pane, & aliter formato Eucharistia administrari posset; sed spectato vsu occidẽtalis, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, quæ huiusmodi hostiis vtitur, aliter administrari non potest. Et hic populi sensus, rectus est, ac legitimus; quia cum Ecclesiæ consuetudine quiuis Christianus sese conformare debet.

VI. *Quia ex peculiari hostiarum forma nascitur peculiaris superstitio, & idololatria.* Quæ nam illa? ô Caluinistæ. An quia nomen *hostiæ* peculiariter insinuat Christum in Eucharistia præsentem sacrificari; huiusque veritatis fidem cordibus fidelium inserit, insertamque fouet, ac custodit?

VII. *Quia hostiæ olent aliquid Papisticum.* Ita est, olent Sacrificiũ corporis & sanguinis Christi: qui odor non est Caluinisticus, nec Caluinisticis naribus tolerandus.

VIII. *Non adhibetur peculiare vinum ad cænam, cur adhiberetur peculiaris panis? si* quis rationem istam penitius introspiciat, videbit eundem eius esse sensum; qui huius: *Non adhibetur ad cœnam vinum azymum, seu infermentatum; cur ergò adhiberetur panis azymus, seu fermenti expers?* Item; *nõ adhibetur vinũ forma tereti, & orbiculari*: (nisi fortè quando cœnantibus offertur in poculo tereti & orbiculari) *ergò neque panis forma tereti & orbiculari adhiberi debet.*

Obiiciunt: *Christus non est vsus hostiis; ergò neque nos vti conuenit.* Respondeo, Christum pane azymo vsum; hostiæ autẽ nostræ sunt panis azymus. Deinde, si de forma agamus: multum opinor, sudabunt Caluinistæ, donec nobis ex sacris literis demonstrent, panem azymũ, quem Christus accepit, benedixit, ac fregit, forma rotunda,

tunda, & orbiculari nõ cõstitiſſe. Mentiuntur Caluiniſtæ, cùm dicunt, *vſum hoſtiarum demum circa tempora Gregorij Magni natum, & ab eodem Pontifice improbatum.* Quibus aliud non opponam, quàm Hoſpinianum, fidiſſimum ſymmyſten, qui in hiſtoria Sacramẽtaria ſic ſcribit: *Quãdo primùm cœperint vel domi vel in templis parare ex farinæ ſpuma vel panis, minutas & rotundas, inſtar denariorum, hoſtiolas & buccellas, certò ſciri non poteſt & ad amuſſim demonſtrari.* ſi certò ſciri nõ poteſt, cur iſti tam aſſeueranter originem ad S. Gregorij ætatem referunt? Qui denuò mentiuntur, hoſtias iſtas Orthodoxis vſitatas, à Gregorio Magno, *per contemptum* appellari, *panes numularios, & minutias oblationum numulariarum.* Vbi hoc Gregorius? Reſpondet Hoſpinianus: *in Regiſtro.* At quo loco *Regeſti?* Nomina, ſi potes, epiſtolam; vt inquiramus, num mentiaris, an conſona vero canas? Nam, vt propter inanes iſtorum aſſeuerationes totum *Regeſtum* euoluam; nec ratio ſuadet, nec tempus ſinit. Iam ad inſtitutum redeamus.

Hoſp. lib. 4. hiſt. Sac. c. 6 fol. 370

Miſſam eſſe ſacrificium, indicat quoq; *altare* ein Altar, quo miſſa fit: Altare ſacrificij locus eſt: ad ſe mutuò referuntur altare, & ſacrificium, licet ſub diuerſis nominibus; ſeque mutuò ponunt & tollunt. Clarius apud Græcos θυσία & θυσιαστήριον, quaſi dicas, *ſacrificium* & *ſacrificatorium.* Quis Germanorum, etiam fæcis hæreticæ, reperitur, cui non ſit in ore, ein Altar: vltima litera ex Latina dictione amputata? Etſi hac, qua Germani vtuntur, vtatur etiam Venerabilis Beda in vita Cudtberti Epiſcopi carmine ſcripta.

Obiiciat quis, non videri verum, quod aſſeruimus, *altare, & ſacrificium* reciprocari, & ſe mutuò inferre. Nã Ioſue 22, *ædificauerunt filij Gad, & filij Rubẽ, & dimidia tribus*

Ioſ. 22.

Manasse altare infinitæ magnitudinis. Quod cùm alij Israëlitæ sacrificiis immolandis exstructum crederent; Rubenitæ cũ sociis publicè testati sunt, se altare illud nõ excitasse *in holocausta, vel ad offerendas victimas; sed in testimonium,* aiebant; *inter nos, & vos, & sobolem nostram, vestramq́ progeniem, vt seruiamus Domino, & iuris nostri sit offerre & holocausta, & victimas, & pacificas hostias, & nequaquaquam dicant cras filij vestri filiis nostris: non est vobis pars in Domino,* &c. Non ergo altare necessariò sacrificium annexum habet, cùm hoc à nonnullis Israëlitis conditum, verè fuerit altare, nec tamen sacrificiis deputatum.

Respondeo primò, altare & sacrificium adeò esse connexa, vt quamprimùm reliquæ tribus de altari à Rubenitis ad Iordanem exstructo, aliquid inaudierunt, id ex communi omnium de altari & sacrificio existimatione, retulerint ad sacrificium. Quamobrẽ legatione missa, expostularunt cum illis, quos præuaricatores arbitrabantur, hunc in modum: *Hæc mandat omnis populus Domini. Quæ ist ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israël, ædificantes altare sacrilegum?* *Ibid.*

Secundò respondeo; licet Rubenitæ, & alij, non ædificarint altare illud sacrificiis reipsa immolandis & offerendis, verè tamen agnouerunt, & professi sunt, altaria necessariò ad sacrificia respectum habere; licet in ipsis reipsa hostiæ non immolarentur. ideo enim altare illud erexerunt, vt esset publicum testimonium, ipsis etiam & posteris eorum, quamuis trans Iordanem habitantibus, suppetere ius sacrificandi hostiasque in communi omnium Israëlitarum altari immolandi. Huc enim pertinent illa verba; *Quod si voluerint dicere,* (illos, qui trans Iordanem sedem fixerant, nihil iuris habere in altare

israë-

Iſraëlitici populi commune) *reſpondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt Patres noſtri, non in holocauſta, neque in ſacrificium, ſed in teſtimonium noſtrum, ac veſtrum.* Vbi apertè vides, altare hoc conditum fuiſſe, non quidem vt re ipſa in eo offerrentur victimæ, & hoſtiæ; ſed vt argumentum & teſtimonium eſſet, æquè iſtis ac aliis in altari Domini ſacrificia & victimas offerendi ius fasque eſſe. Semper ergò altare ſacrificium, ſiue audientium, ſiue videntium, ſiue legentium animis ſubiicit, ac repræſentat: cùm ne hoc quidem altare à Rubenitis abſque reſpectu ad ſacrificia, & ius ſacrificandi ædificatum fuerit.

Idem planum facit vox *ſacerdos* Germanis, **ein Prieſter**; à Latino vel Græco *Presbyter.* Vt ergò Latinis ſacerdos, & ſacrificium relatiua ſunt; ita & Germanis, **Prieſter & Opfer.** Quæ fortaſsis cauſa, cur nullus Lutheranorum, aut Caluinianorum, ſacrificium Chriſtianæ religionis proprium inficiantium, ſuos *miniſtros* audeat Latinè appellare *ſacerdotes*; aut Germanicè, **Prieſter**: *Miniſtros* intonant, Germanicè, **Diener am wort**, ſeu, vt alij, breuius & concinnius, **Wortßdiener**, ſeu abſolutè **Diener**. Timidè interdũ *presbyteros*, & *presbyterium* muſſitant. Sed, vt timidè, ita non ſæpè: conſcij ſibi, ſe omnis ſacrificij expertes degere, ab his nomenclaturis prudenter abſtinent. Sed de hoc poſtea. Hîc, nihil aliud, quàm quod S. Auguſtinus Fauſto Manichæo: qui, cum *templũ, aram, ſacrificium* admitteret; ſed hæc omnia myſticè, & metaphoricè interpretaretur: *meipſum*, inquiens, *rationabile Dei templum puto viuum viuæ Maieſtatis: aram, mentem bonis artibus, & diſciplinis imbutam: honores quoque diuinos, ac ſacrificia in ſolis orationib⁹ & ipſis puris ac ſimplicibus pono:* Reſpondit S. Auguſtinus. *Et tamen volo mihi dicatis, vnde*

S. Aug. lib. 20 contra Fauſtum, c. 3.

cap. 18.

iſta

ista omnia, quæ laudatis in vobis, his nominibus appelletis, vt dicatis templum, aram, sacrificium? si enim vero Deo ista vera non debentur, cur laudabiliter in vera religione prædicantur? si autē Deo vero verum sacrificium debetur, vnde etiam diuini honores rectè appellantur: cetera, quæ dicuntur sacrificia, ad similitudinem sunt cuiusdam veri sacrificij.

Idem iure occinas nostris hæreticis; qui *templa, aram, sacrificium*, ore quidem terunt: Sed postea mysticè exponunt. nam *templi* vocem raro apud illos audias; siue loquantur Germanicè, siue Latinè; quia sacrificium innuit: nouis appellationibus magis delectantur, cuiusmodi est Predighaus, *domus concionatoria*; præsertim, si non sit templum Catholicum, ab ipsis occupatum & profanatum: sed domus, quam ipsi iam primùm vsibus sectæ suæ exstruxerint. Huiusmodi enim vix nominant vel Tēpel/vel Kirchen, vel alio Catholico, sed nuper nato nomine, ein Predighauß.

CAPVT. XV.

Refelluntur causæ, quas reddunt Caluinistæ ob sublata altaria.

PORRO cùm *altaris* vox adeò clarè, & dilucidè sacrificium indicet; omni ope contendunt Germanici Caluinistæ; vt non tantùm rem altaris nomine significatam; sed & ipsum *altaris* vocabulum è medio tollant: reddúntque Embdenses Caluiniani duodecim causas, cur altaria subruenda, & in eorum locū mensæ substituendæ sint: quas omnes rationes, si in compendium redigere velis, intelliges, optimè ad vnam reuocari posse; quæ, alia non est, quàm quòd *altare*, & vox *altaris* nimis luculentus est *sacrificij* testis & in-

Embd. in lib. sup. cit.

index. Ante omnia autem ſcire aueo; quomodo iſti Caluiniſtæ concinant cum ſuo Patriarcha Beza; qui in Colloquio Mompelgartenſi, publicè hæc effatus eſt: *Altaria ad vſum Cœnæ retineri poſſunt.* Et tamen non obſtante hac publica primarij Caluiniſtæ confeſſione, minutuli iſti Caluinianuli duodecim machinis altaria euerſum eunt.

Colloq. Mompelg. fol. 410.

I. *Altaria non pertinent ad cultum diuinum nouæ legis.* Negamus. Probant. *quia morte Chriſti omnia ſacrificia conſummata, & abrogata ſunt.* Omnia legalia, & Aaronica; nō omnia ſimpliciter. quia non illud, quod pridie paſſionis, & mortis ſuæ Redemptor noſter inſtituerat.

II. *Chriſtus in Cœna non eſt vſus altari: neque poſtea Apoſtoli.* At Chriſtus neque menſa vſus eſt in poſtrema Cœna, ſi vera ſunt, quæ Schmidelinus cum ſodalibus ſuis in Colloquio Mompelgartenſi tradidit: vbi, inter dogmata Scripturæ ſacræ non conſentanea numerat etiam hoc: *Menſam ex ligno confectam loco altaris lapidei in templis neceſſariò conſtituendam eſſe, in quo cœna Domini celebretur: cùm tamen Chriſtus vnâ cum diſcipulis ſuis non menſa vſus ſit, ſed humi pro more & conſuetudine gentis diſcubuerit.*

Colloq. Mompel. fol. 392.

Cur ergò Caluiniſtæ non cœnant humi abſque vlla menſa; cùm Chriſtus non ſit vſus menſa ex horum Lutheranorum ſententia; nilque hac in parte agere liceat, niſi quod Chriſtus egit, vt Caluiniſtæ ſentiunt? Deinde, accubuerit Chriſtus menſæ, vt reuera accubuit, an ideo nefas erit Euchariſtiam in altari conficere, confectamq; inde populo diſtribuere? ſi omnis circumſtantia actionis Chriſti ſub præceptum cadit; cur Caluiniſtæ non idem quoque tempus, veſpertinum ſcilicet, obſeruant? Cur manè cœnant, contra Chriſti exemplum? Cur plures, quàm duodecim cœnatores adhibent? Cur non aliam

ſiue vulgarem, ſiue legalem cœnam præmittunt? Cur ante cœnam non lauat Prædicans omnium eorum, qui cœnaturi ſunt, pedes? Cur alia actionis Chriſti adiuncta non obſeruant? Quòd ſi in his tam multis abſque piaculo, ab exemplo Chriſti diſcedunt; nihil piaculi admitterent; etiamſi cœnam ſuam non in menſis, ſed in altaribus celebrarent.

Tertiò negamus, menſam illam, in qua Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, confecit, diſcipuliſque diſtribuit, &c. non fuiſſe altare. quia altare eſt, in quo ſacrificium offertur; ſiue conſtet ex lignea, ſiue ex lapidea materia: ſiue ſit formæ quadratæ, oblongæ, ſiue rotundæ: ſic & crux, in qua Chriſtus pependit, veriſſimum altare fuit; quia veriſſimum in Cruce ſacrificium Deo immolatum eſt.

Sed quia altare nimis luculenter menti ſacrificium repræſentat: non autem vox *menſæ*; quæ conuiuium, & conuiuantes denotat: hinc Caluiniſtæ tam malè in altaria ſunt affecti: *Vtinam iſta Sacramenti altaris appellatio nunquam fuiſſet vſurpata*, clamat Beza. Qua de cauſa, ô Beza? *quia, probabile non eſt, ſathanã vnquã potuiſſe Cœnæ Dominicæ Sacramentũ in illud horrendũ ſacrificium denuo offerẽdi Chriſti commutare, ſi altaribus Chriſtianæ Eccleſiæ caruiſſent.*

In Colloq. Momp. fol. 397.

Ecce veritatis lucem ex altaris vocabulo emicantem ferre nõ poteſt ſectarius iſte: propterea & altarium, & ſacrificij Chriſtiani originem ad diabolum prorſus diabolicè refert: quam blaſphemiam alibi quoq; exſpuit his verbis: *Quod ad altaria; nihil in eo poſitum eſt, an in altari lapideo, vel in menſa lignea Cœna Domini celebretur. Eſt enim res adiaphora.* (Et tamen Embdenſes, & plerique alij Caluiniſtæ, non pro re adiaphora, altaria habent; cùm ea neceſſariò deſtrui debere exiſtiment.) *Sed tamen res ipſa oſten-*

d. ibid. ol. 424

stendit, quàm astutus sit noster hostis. si enim nunquam altaria exstructa fuissent; nunquam cœna Domini in sacrificium conuersa fuisset. Nam altaria, sacrificia nobis pepererunt. Cruciat hæreticum vox *altaris:* quia, hac admissa, necessariò sacrificium quoque admittendum esse videt.

Addit: *Etsi rē ipsam non dāno, quod Cœna Domini in altari lapideo celebratur & distribuitur: dico tamen, sathanam hac occasione vsum, vt nobis Sacramentum Eucharistiæ in sacrificium conuerteret, Nam, vbi non est altare, ibi non est sacrificium. Et Paulus mentionem facit mensæ Domini, & nōn altaris. Sed, non repugno, quin Cœna Domini in altari celebrari posit. Nam & à Losanna altare marmoreum Bernam translatum est, in quo Cœna Domini ibi celebratur.*

En rursus oculi Bezæ ad veritatis lumen caligant, & præstinguuntur. Intelligit nimirum, *altare,* & *sacrificium* connexa esse. Hoc ei *cordolium* facit. Permittit tamen; vt Cœna Caluinistica celebretur in altari. Cur alij Caluinistæ non permittunt idem?

Nam *quod multi* (ex Caluini sectatoribus) inquit Schmidelinus, *in ea opinione versentur, minimè adiaphoron esse, Cœnam Domini in altari celebrari, in quo prius Papisticum sacrificium oblatum est, libet veram historiam breuiter recitare. Fuit Comes quidam vestræ Confeßionis, qui cū Principe quodam nostræ religionis communem habuit iurisdictionem in Ecclesia quadam. Cùm igitur Comes iudicaret, se plus iuris in illa Ecclesia habere; altare dirui, & mensam in templo exstrui curauit. Quod postquam Princeps resciuit; mensam remoueri; & altare denuo exstrui mandauit. Comes contrà, secunda vice, altare dirui, & mensam restitui curauit. Princeps similiter, altera vice mensam aboleri, & altare restitui mandauit. Id an tertia vice factum sit, nescio. Sed Comes postquam seueritatem Principis animaduertit, de suo proposito remisit, vt loco mensæ*

Colloq. Mompelg. fol. 425.

altare in templo remanserit. Ex quo intelligitur, valde necessarium esse, vt homines, etiam hac de re rectè erudiantur. Si enim Comes iudicasset, adiaphoron esse, in altari, vel in mensa Cœnam Domini celebrari; hac lis inter ipsum, & Principem nunquam cum tanta offensione & scandalo subditorum eius loci exorta fuisset. Hæc Smidelinus.

Quod Beza non semel clamat; *altaria* esse causam, cur Eucharistia existimata sit sacrificium, id Schmidelino secus videtur. Ait enim. *Sacrificium altaria; non altaria sacrificium pepererunt.* Sed nobis perinde est, siue hoc, siue illud acciderit. Nam sacrificium, & altare sunt relatiua. Quisquis ergò Eucharistiam sacrificium esse censuit, hic de altari circumspicere debuit; & quisquis altare exstruxit, is de sacrificio cogitare debuit: neque enim est altare absque sacrificio. Itaque hoc ipso, quod Smidelinus fatetur, veteres propter sacrificium ædificasse altaria: fatetur etiam antiquos *Missam* pro sacrificio habuisse; quia, nisi sacrificium esse existimassent; nunquam de altaribus exstruendis cogitationem suscepissent. sed iam reuisamus ad nostros Caluinistas, omnium altarium demolitores, & euersores.

Colloq. Momp. pag: 396.

III. *Altaria in nouo Testamento nihil aliud sunt, quàm hominum inuenta, & commenta, ex cacozelia legis Mosaicæ orta.* Quanto rectius nos. Destructio & euersio altarium nihil aliud est, quàm Saracenorum, & Turcarum inuentum & figmentum: ex praua imitatione legis Mahometicæ & Alcoranicæ prognatum. Turcarum enim & Mahometanorum est, altaria demoliri, & funditus subruere; nõ eorum, quibus à Christo nomen venit. Et quando probabunt Caluinistæ altaria esse humanum inuentum: cum illa ipsa mensa, in qua Christus Eucharistiam instituit, verè fuerit altare. quia omne illud altare est, in quo

sa-

ſacrificium immolatur. Et vt maximè altaris inſtitutio eſſet humana; an ideo repudiari deberet? Hac ratione efficient Caluiniſtæ, vt & templa, perinde ac altaria, demoliri & ad ſolum vſque deiicere debeamus. Vbi enim de condendis templis diuinum præceptum? Et certè, niſi hæretici & ſumptibus & labori parcerent, iam magnificentiſſima templa à maioribus noſtris exædificata, à fundamentis euertiſſent, vel in profanos vſus commutaſſent, prout multis in locis factum eſt: & vel in priuatis ædibus, vel in concionatoriis domibus, ab horreorum & ſtabulorum ſpecie non multum abhorrentibus, ſuas declamationes & cœnas inſtituerent.

IV. *Cœna Domini non vocatur ab antiquis Chriſtianis, & à ſcriptura Sacramentum altaris, ſed menſa Domini; & prior illa appellatio ex medio papatu exſtitit.* Non certè exſtitit ex Caluiniſmo: quia Caluiniſmo longè vetuſtior eſt. At ſi, vt ipſi Caluiniſtæ fatentur, Euchariſtia Sacramentum eſt: ſi præterea in altari poteſt confici & adminiſtrari, vt concedit Beza: mirum foret, ſi aut à Sacramento, & ab altari nominationem accipere non poſſet? An non & in ſympoſiacis Lutheri Colloquis, titulus eſt, **von dem heiligen Sacrament deß Altars**?

Et, quid eſt *menſa Domini*, niſi altare? Nam, vt ſuprà dictum, omnis menſa, in qua Euchariſtia modo legitimo conficitur, altare eſt; quia omnis legitima Euchariſtiæ confectio, ſacrificium eſt. Et Germani, quando dicunt, ſe ituros, **zu Gottes Tiſch**, *ad menſam Dei*; nihil aliud ſignificant; quàm quod ſignificat ſacerdos verbis illis Dauidis: *introibo ad altare Dei*. Quibus in locutionibus, & nomine *menſæ*, & nomine *Altaris*, intelligitur *contentum*, per *continens*: ſicut & in vulgari ſermone, quando dicimus; **Jch wil zū Tiſch gehn/ er hat ein guten Tiſch**,

nomine *mensæ*, ipsum cibum in mensa apponi, & proponi consuetum intelligimus.

V. *Etiam tempore D. Athanasij, non altaria, sed mensæ pro cœna fuerunt adhibitæ; consuetudine ab Apostolis deducta. Et Celsus apud Origenem, obiicit Christianis, quod nullis vtantur altaribus: neque negat Origenes id, quod Celsus obiectat.* Respondeo, magnam esse hæreticorum impudentiam; qui altaria in Catholica Ecclesia fuisse, inficias eant æuo D. Athanasij: cùm Athanasio Cyprianus longè antiquior, altaris vocabulo vtatur. *Oportet sacerdotes & ministros, qui altari, & sacrificiis deseruiunt, integros, atque immaculatos esse.* &c. Item: *Cum accedunt ministri ad altare sancti,* &c. Idē S. Martyr *iubet, vt non offeratur sacrificiū pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat presbyterum rerum temporalium procuratorem*; & causam reddit: *quia non est dignus, vt pro illo sacrificetur, qui sacerdotem Dei ab altari abstraxit.*

Orig. lib. 8. contra Celsum.

S. Cyprian. Tom. 1. epist. 72.

Idem l. 1. ep. 9.

In Canonibus Apostolorum III. & IV. aperta est mentio *altaris* ad Eucharistiam offerendam erecti. Dionysius quoque cap. 3. Eccles. hierarch. *altaris* meminit. Tertullianus in lib. de Pœnitentia, inter alia signa humilitatis pœnitentium numerat, *presbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari.* Et in lib. de orat. *Solennior*, inquit, *erit statio tua, si ad aram Dei steteris.*

Lege Bellarmin. lib. 1. de Missa. c. 16.

Nec opus aliorum testimonia producere: quia in Augustini, Ambrosij, Hieronymi, & aliorum libris frequentissimè altarium mentio occurrit.

Iam quod Celsus obiecit, Christianos altaribus carere, nil mirum: quia, Ethnicus homo, rerum Christianarum ignarus erat. Idem, ex eadem ignorantia obiicit Cæcilius Ethnicus apud Minutium, in Dialogo qui Octauius inscribitur. Neque opus erat, vt Origenes hanc inscitiam

tiam Celso eximeret. Non enim ignorabat, sanctum non esse dandum canibus: & nemo nescit, veteres hæc religionis nostræ arcana perquàm studiosè celasse.

VI. *Altaria nata sunt ex cacozelia, prauaq́, imitatione Iudaicorum rituum: & ad confirmationem sacrificij Missæ.* Si hæc vera sunt, tunc multò magis dicendum erit, templa ex cacozelia Iudaicorum rituum exstructa fuisse: quia Iudæi templum habuerunt; & in templo, altare. Quin igitur Caluinistæ, vt altaria, sic & templa exterminant? Aut si templa retinere queunt absque Iudaicæ cacozeliæ vitio; cur non & altaria? si omne illud ex prauo Iudæos imitandi studio ortum habet, quod Christiani cum Iudæis commune habent; sequitur, ipsos etiam Caluinistas, cũ ad suas synagogas se conferunt, verbi audiẽdi, & Bibliorum legendorum gràtia; id facere ex praua Iudæos imitandi cupidine: quia Iudæi quoque eandem ob causam suas synagogas destinatis temporibus petebant. Altaria sacrificio Missæ testimonium perhibere non inficiamur: imò, hanc ob causam vel maximè altaria aduersus inferorum emissarios tuemur.

VII. *Etiam Lutherus reiicit altaria. Tom. 2. Ien. pag. 20.* Quid Lutherus senserit, parum moramur. Certè Lutheranus Schmidelinus in Colloquiò Mompelgartensi altaria adiaphoris accenset.

VIII. *Altaria idololatrica sunt destruenda: sed Papistarum altaria sunt idololatrica: ergò destruenda.* Minori nihil deest, nisi probatio: quæ vbi accesserit; plura dicemus. Interea gradum ad alia facimus.

IX. *Commendantur in scriptura, qui aras idololatricas demoliti sunt.* At si Caluinistæ laudis huius se participes reddere volunt, necesse erit, vt solidè probent, altaria Catholicæ Ecclesiæ esse idololatrica: & tum, ad euersionem non sine laude progredi licebit.

X. Om-

X. *Omnes tenentur amputare occisionem superstitionis, & idololatriæ: idq́ non tantum sua, sed & posterorum gratia; ergò omnes obligantur ad altariū demolitionē, & abolitionem* Hîc iterū nihil desidero, quā vt Caluinistæ ostendant: altaria esse superstitionis, & idololatriæ ansam, & materiam.

XI. *Homines non habent altaria pro adiaphoris, sed pro necessariis, sed hoc repugnat libertati.* Caluinisticæ opinor. Meritò in necessariis altaria numerant. quia & sacrificium Christianum non est adiaphorum, sed necessarium: ergò & altaria: nam sacrificium & altare reciprocantur.

XII. *Altaria confirmant sacrificium Missæ Papisticæ. debent ergò exterminari.* Hæc nimirum palmaris est ratio, cur Caluini asseclis altaria adeò sint inuisa. Tam cæci nō sunt, etsi admodum cæci, vt non videant, altaria esse sacrificij symbola. Hinc illæ lacrymæ.

CAPVT XVI.

Examinantur causæ, propter quas Caluinistæ exterminarunt calices & corporalia.

In lib. Caluinist. Embdens.

CVM altaribus exturbarunt isti etiam *calices & corporalia*; & in eorum locum substituerunt *scyphos* seu *pocula*. Hinc septimus titulus inter ceremonias Cœnæ abrogatas, ita habet: **Papistische Corporal / vnd Kelch abgeschafft / an deren statt andere Becher / verordnet seyn.** Equidem fateor, Cœnæ Caluinianæ longè aptiora esse pocula, quàm calices. Quare benè factum, quod non aliis vasis sua in Cœna vtuntur, quàm quibus vtitur caupo in caupona. Et nomen *Corporalis*, euidentius corporis Christi præsentiam,

tiam, & clariorem lucem indicat, quàm tenebriones isti pati queant. Eam ob causam tam nomen, quàm nomini res substrata in exilium abire debuit.

Causas relegationis has assignant Caluinistæ Embdenses. I. *quia, Christus nihil horum vsurpauit, neque vsurpandum præcepit: Et quia in verbis institutionis nulla fit mentio de vlla certa calicis forma. Græcum enim vocabulum ποτήριον, non significat calicem; sed quoduis vas, ex quo bibitur; siue ex terra, seu ligno, siue ex vitro, auro, vel argento confectum sit, & quacunque forma constet. multò minus inuenitur aliquid in institutione Sacramenti de Corporalibus* Respondeo, mirum dictu esse, quàm Caluinistæ sint religiosi, vbi nulla prorsus religione opus est. si nihil agunt, nisi quod in institutione actum; cur multi ex Caluinistis stantes cœnāt? Cur Angli genu flectentes? Cur alij sedentes? cùm nihil horum in institutione obseruatum fuerit. Nā Christus cum discipulis discubuit in lectis, more tunc Orientali, & Romano communi.

Embdens. Vbi supra.

Præterea, si nulla certa forma vasis, ex quo sanguis Christi hauritur, in institutione præscribitur aut præcipitur; quo iure, ea vasa, quæ *calices* nominantur, exterminant, cùm minimè sint prohibita; nitanturque antiquissima Ecclesiæ consuetudine? cùm & Tertullianus *calicum* meminerit; & vetustissimus noui Testamenti interpres ποτήριον *calicis* vocabulo vbique reddiderit, vt agnoscit etiam Erasmus. Etsi, ipse passim maluit *poculum*, quàm *calicem*.

Tertull. lib. de Pudicitia.

Erasm. in annot. super cap. 20. Matth.

Cum nostro interprete faciunt vetustissimi Patres Græci & Latini; quibus nihil vsitatius quàm κύλιξ, & *calix*. Facit & Germanica lingua; cui nihil tritius in sacris, quàm Kelch. Quis Germanorum, nisi Caluinistico spiritu obsessus sit; si loco illius; Das ist der Kelch deß

newen Teſtaments; audiat, das iſt der Becher deß newen Teſtaments, effusè non ridebit? Multò ægrius à riſu ſibi temperabit, ſi audiat iſtud; daß iſt der Pocal deß newen Teſtaments. Si quis; illud Matth. 20. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum*; (vbi Nouatores; poculum, quod ego bibiturus ſum:) ſic vertat, könndt jhr trincken den Becher / oder den Pocal / den ich trincken werd; an non cuiuis, licet Heraclito vultuoſior ſit, riſu ilia diſtendet? Certè iſti noſtri tanti amatores poculi, & calicis oſores, ſi ſibi conſtare vellent; non illam Germanicam vocem Becher; ſed hanc alteram *Pocal* retinere, & vſurpare debebant. Nam, vt Latina vox *poculum*, à *potando*, ad verbum exprimit Græcam ποτήριον, eamque ob causã adeò ab iſtis amatur; ita & Germanica vox Pocal ad verbum exprimit Latinam, *poculum*. Quocirca iſti, vt ſic loquar, *poculatores*, præ, & ex omnibus aliis Germanicis vocabulis hoc, *pocal*, eligere, & amplecti deberent.

Conſidera autem, quò Zuuinglianorum, & Caluinianorum odium in vocem *calicis* progrediatur. Tigurini in Bibliis ſuis Germanicis, dum rideri timent, ineptire non timent. Hinc Mathæi 20. neque *calicis*, neque *poculi* nomen retinent; ſed vertũt, könnd jhr trincken das Tranckh: *poteſtis bibere potum, quem ego bibiturus ſum.* ſic, 1. Cor. 11. *Et de calice Domini bibit.* oder von diſem Trãckh deß Herrn trinckt. *Et de calice bibat*; Vnd trincke von diſem Tranck. Vbi in locum *calicis* antiqui, & vſitati, nouique *poculi*; ſubſtituunt *potum*. Et quia hoc abſque manifeſtiſſima ſtultitia paſſim fieri non poterat, ideo, vertunt interdum ein Trinckgeſchir. *Similiter & calicem poſtquam cœnauit dicens; Hic calix nouum teſtamentum eſt:* priore loco vertunt, ein Trinckgeſchir; poſteriore, ein tranck.

Et

Et cap. 10. *Calix benedictionis*, daß Trinckgeschirr der Dãckſagung. Sic in verſione vernacula Matthæi & Lucæ vbiq; fugiunt iſti *calicem*, & vocem Germanicam Kelch, non ſecus *ac diabolus crucem.*

At ποτήριον, inquiunt, *quo Euangeliſtæ vtuntur, eſt nomen generale; cuius ſpecies quædam eſt, calix.* Nõ abnuimus. Miramur tamen, cur, cùm ſpeciale nomen ab Euangeliſtis non exprimatur, iſti calicem adeò oderint, cùm ποτήριον, de quo Euangeliſtæ, tam potuerit eſſe *calix*, quàm quælibet alia poculi ſpecies. Et fuiſſe calicem omnium ſeculorum conſenſio, & Germanorum vernacula lingua; & ipſe Caluiniſtarum aliquando loquendi modus teſtantur; accuſant enim orthodoxos, quòd Laicis adimant *calicem* den Kelch. Hinc ignominiosè eos appellant Kelchdieb, *fures calicis.* Nunquam audias, Caluiniſtas Germanos quiritantes, Laicis apud Papiſtas ſubtrahi daß Trinckgeschirr/den Becher/oder den Pocal; vel, vt Zuuingliani loquũtur, das Tranck. *Calicem*, den Kelch, velint, nolint appellare coguntur; alioqui criminatio eorum à nullo Germano intelligeretur.

Deinde, licet ποτήριον, quo vſi Euangeliſtæ, ſit vox generalis, ipſum tamen vas, in quo Chriſtus ſanguinem ſacratiſſimum diſcipulis bibendum porrexit, vtique certæ alicuius ſpeciei fuit: vnde antem certius cognoſcamus, cuius ſpeciei fuerit; quàm ex totius antiquitatis vnanimi teſtimonio; quæ *poculum* hoc ſemper pro *calice* habuit? Vnde & vaſa, in quibus poſtmodum Eccleſia ſanguinem Dominicum conſecrauit, non niſi κύλικας, & *calices* vſitatiſſima conſuetudine nominauit.

De primo illo calice, *ſanguinis Chriſti*; vt loquitur Optatus, *portatore*, hæc venerabilis Beda: *In platea, quæ Martyrium, & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua calix*

Optat. lib. 6. contra Parmen.
Bed. de loc. ſanct. c. 2.

Domini ſcriniolo reconditus, per operculi foramen tangi ſolet & oſculari: qui argenteus calix, hinc inde duas habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit; in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra.

Notant Etymologi, κύλικα dici παρὰ τὸ κυλίεσθαι τῷ τροχῷ ἐπὶ τῷ κεραμικῷ, ἐπὶ τῷ χαλκευτικῷ: *quod circa rotam voluatur* (nimirum dum fabreſit) *ſiue figulinam, ſiue, qua æs, & alia metalla elaborantur.*

Ad *corporalia* quod attinet, fateor, iis non eſſe opus Caluiniſtis. Cùm enim ſuis in menſis corpus Chriſti non habeant; ipſorum itidem confeſſione; non immertiò *corporalia* remouerunt. ſcire tamen velim, an non pro pane ſuo mappa quapiam ſuam menſam ſternāt? Et, ſi ſternunt, quo ſcripturæ teſtimonio freti, id faciant? Vbi ſcriptum eſt, menſam, in qua Chriſtus nouiſſimam Cœnam celebrauit, fuiſſe ſtratam? Non dico, quid factum ſit, aut quid ego ſentiam; ſed quid ſcriptum ſit?

Porrò cùm Catholici, præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti, verè ſub ſpeciebus panis & vini agnoſcāt; mirari nemo debet, ſi ſacratiſſimo corpori *Corporalia* ſubſternant. Obſeruatum id antiquitus; quod cùm aliunde, tum ex Optato liquet: *Quis*, inquit, *fidelium neſcit, in peragendis myſteriis, ipſa ligna* (altaris) *linteamine cooperiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Quæ verò Optatus hîc *linteamina, & velamina* nominat, ea paulò poſt eidem nominantur *pallæ*: quas Donatiſtæ politici magiſtratus ſubſidio Catholicis extorquere conati ſunt: quas & lauerunt, tanquam orthodoxorũ cōtactu contaminatas.

Optat. lib. 6.

Nec refert quod Optatus *Corporalis* nomen non vſurpat: quia, rem nominis vſurpat: id quod ſatis eſt. Nam *Corporale* nuncupamus illud linteum, cui corpus Chriſti

in

in altari immediatè ſuperponitur. At *linteaminibus*, *velaminibus*, & *pallis*, de quibus Optatus, immediatè corpus Chriſti ſuperimponebatur, vt iam ex ipſo Optato audiuimus; verè igitur *Corporalia* erant.

Dicent Caluiniſtæ; *non eſſe datum præceptum, vt corpus Chriſti ponatur in Corporali.* At ego viciſſim quæro, vbi datum fuerit præceptum Ioſepho ab Arimathia, vt corpus Chriſti depoſitum de Cruce inuolueret ſindone, myrrhaque, & aloë delibutum ſepulcro mandaret? ſi tũ precioſiſſimũ Redemptoris corpus abſq; ſpeciali mandato ſindone inuolutum eſt; cur hodie mundiſſimo linteo, quod *Corporale* vocamus, à nobis non exciperetur, & honeſtaretur?

Luc. 23.

II. Cauſa Embdenſium: *Calices ſublati ſunt, ne homines abſque Dei præcepto, & præſcripto ad certam formam poculi, vel aliorum vaſorum ſeſe adſtringi ſinant; ſed vt in his Eccleſia libertate ſua fruatur: ſicut etiam nemo ad peculiare genus panis, vel vini adſtrictus eſt.*

Reſpondeo; ſi Caluiniſtæ omnis penitus obligationis, & nexus impatientes ſunt, neque ad vllum genus poculi ſe adſtringi ferunt; poterũt igitur ſua in Cœna vſurpare capacia illa, & nodoſa vitra, quibus bibones, & lurcones ſeſe ita excipiunt, & conſalutant, vt vix alienis pedibus, manibusque domum reuerti queant. Nec dubito, Caluinianis Cœnatoribus eò gratius fore vitrum; quò amplius & vaſtius fuerit. Et quia ingenioſa ebrioſorum in irritanda potus appetitione curioſitas, varia pocula excogitauit; quorum nonnulla canis, alia lupi, alia vrſi, alia tauri, alia noctuæ, alia aliorum animalium; quædam nauium; quædam librorum, quædam vuarum, quædam pomorum, quædam aliarum rerum imagines præferunt; Caluiniſtæ libertati ſuæ quàm optimè conſule-

rent; si, pro varietate festorum, nunc cum cane poculo latrarent, nunc cum lupo vlularent; nunc cũ tauro boarent; nunc cum nauibus illis vastum maris æquor ararẽt; nunc libros illos nectare terrestri plenos euoluerent, & à summo ad imum vsque percurrerent; craterasq; magnos, & paruos pro varietate temporis statuerent, & vina coronarent; & quidem cum *duplex festum est*, eiusmodi poculum vsurparent, quale illud Homericum, quod, cùm vino plenum esset, vix quisquam leuare poterat; tametsi Nestor illud nullo negotio leuabat, robore lacertorum fretus. In *semiduplicibus*, & *simplicibus* minora ἐκπώματα libertati Caluinianæ sufficere possent.

Quid autem est, quod aiunt, Ecclesiam nec ad certam formam poculi nec ad certam panis speciẽ adstringi; & tamen ipsi suos ad panem fermentatum, & cibariũ, & ad poculum, quod forma à calicibus nostris prorsus dissideat, adstringunt? Cur, quod verbis prædicant, re ipsa euertunt? si quis Caluinianus Minister, vteretur calice, aut hostiis, Catholicorum more, an non è vestigio è Caluini synagoga eiiceretur? An non, tanquam nimium *papizans*, Caluiniano anathemati subiiceretur?

Tertia Embdensium ratio: *cùm aduersarÿ corporalia & calices in necessitatem vertant, liberis alioquin accensenda; & peculiari affectu in illa ferantur, quasi peculiari sanctitate polleant: Ex aduerso autem reliqua vasa, scyphos, & pocula, velut profana, Cœnæ minus idonea existiment; meritò par pari rependimus, calicesq; & corporalia, à cœna procul abesse iubemus.*

Respondeo, si hæc ita se habent, tum clarè produnt Caluinistæ, se ad hanc mutationem non processisse spiritu Dei; sed spiritu sumendæ vindictæ. si enim calices nostros respuunt, quia nos illorum pocula, cyathos, scy-

phos,

phos, ἐκπώματα, & quocunque demum nomine nominentur, in vſu Euchariſtiæ repudiamus; non ergò religione, ſed iracundia & impatientia promeriti contemptus nouarunt, quid quid nouarunt; calicibusque valere iuſſis, cum cauponibus communia ſuam in cœnam pocula introduxerunt. Quo ipſo ſatis indicant totam hanc καινοτομίας nō ratione, ſed vindicandi libidine niti. At quod & calicum, & corporalium vſum in neceſſitatem vertimus; id propterea fit, quia apud vniuerſos orthodoxos communis Eccleſiæ praxis, & conſuetudo, præſertim multorum annorum vſu corroborata, legis inſtar habet. Et ſi in foro ciuili conſuetudo eôdem loco habetur, quo lex ſcripta: mirum foret, ſi Eccleſiaſtica conſuetudo, à ſpiritu ſancto, totius Eccleſiæ fideliſſimo rectore profecta, minus virium haberet, quàm illa politica.

IV. Ratio. *Prima Eccleſia, poſt Apoſtolorum ætatem in Cœna neque aureis, neque argenteis, ſed ligneis duntaxat vaſis, ſeu cyathis, & vitris vſa eſt; panisq́; pro Cœna ex vimine textis caniſtris adferebatur, quod de Exuperio Toloſano Epiſcopo D. Hieronymus ſcriptum reliquit: cur ergò nunc vteremur calicibus?*

S. Hieron. epiſt. 4. ad Ruſtic.

Reſpondeo; meritò ex iſtis quæri, vnde compertum habeant, Eccleſiam, quæ Apoſtolos proximè inſecuta eſt, non eſſe vſam, ſaltem aliquando, & aliquibus in locis, calicibus aureis, & argenteis, cùm, vt ex Beda audiuimus, ipſe calix, in quo Chriſtus Apoſtolis ſub vini ſpecie ſacratiſſimum ſanguinem bibendum obtulit, fuerit argenteus.

Apud Prudentium ſic affatur Tyrannus beatū Laurentium: *Hunc eſſe veſtris orgiis moremq́;, & artem proditum eſt, hanc diſciplinam foederis, libent vt auro antitiſtes; argenteis ſcyphis ferunt fumare ſacrum ſanguinem, auroq́; no-*

ctur-

Eturnis sacris astare fixos cereos. Nec est, quod quis dicat; *Prudentium de more & vsu æui sui locutum.* quia ex aliis quoque veterum monumentis constat: Ecclesiam tunc opum perquam diuitem fuisse; eiusq; thesauris tyrannum auidissimè inhiantem, à D. Laurentio egregiè fuisse delusum; cunctis facultatibus in egenos distributis: *Laurentius, qui aurum Ecclesiæ maluit erogare pauperibus*, inquit S. Ambrosius, *quàm persecutori reseruare, pro singulari interpretationis viuacitate sacrũ Martyrij accepit coronam. Nũquid dictum est S. Laurentio? Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ; vasa Sacramentorum vendere.* Et quæ hæc aurea Sacramentorum vasa? Inter alia, *calices*

S. Ambros. lib.2.offic. c.28.

De Exuperio D. Hieronymus: *S. Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemq; substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.*

Ex quorum verborum circumstantiis dilucidè apparet, non fuisse tunc communem morem, corpus, & sanguinem Christi in vasis ex tam vili materia confectis asseruare: Sed id S. Exuperium fecisse; quia & suas & Ecclesiæ suæ fortunas in pauperes alendos, & captiuos redimendos expenderat. Quod, necessitate exigente, ius fasque esse: docet loco paulò ante nominato D. Ambrosius. Neque hæretici diffiteri possunt, tempore D. Hieronymi, aureos, argenteosque calices passim in vsu fuisse: id enim liquet ex D. Ambrosio, ex Optato, ex Augustino, & aliis innumeris.

Opt. lib. 6 contra Parm. S. Aug. lib. 3. contra Crescon. c.29.

Notetur autẽ Caluinistarum mendacium, qui aiunt ex Hieronymi de Exuperio narratione constare, *panes in vimineis canistris ad Cœnam, seu pro Cœna allatos esse.* Non dicit hoc S. Hieronymus; sed; S. Exuperium corpus Domi-

ni

ni *in canistro vimineo portasse*: aliud est, *corpus Domini*; aliud, *panis*. Aliud est; portare *corpus Domini*; aliud portare *panem* pro Cœna.

Nec obstat prædictis, quod in cap. *Vasa*, de consec. d. I. legimus, Zepherinum Pontificem statuisse, vt Missæ *in patenis vitreis* celebrarentur: quod aliqui etiam ad calices extendunt. nam decretum hoc non exclusit materiam argenteam, vel auream; sed tantùm, *ligneam*: Vnde qui *calicem*, vel *patenam* argenteam, vel auream habebat, nihil in hoc decretum delinquebat. Postea Vrbanus Pōtifex, vt in eōdem capitulo dicitur; *omnia ministeria sacra fecit argentea*; hoc est, sanxit, vt omnia *Sacramentorū vasa*, prout à S. Ambrosio appellantur; essent argentea; quamuis & antea, apud multos, ex hoc ipso metallo confecta essent. sed tamen istud ipsum, præcepto firmare oportuit: *In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus magis, & magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiarum*. Concessum nihilominus est; vt si quis tanta rerum omnium penuria premeretur: stanneo saltem calice vteretur.

Ad extremum mitto dicere, Caluinistas *extra oleas, & scammata* (vtor phrasi Prædicantium) hoc loco ferri. Non enim disputamus de materia, sed de forma vasis, in quo sanguis consecratur, & ex quo sumitur; vtrum videlicet debeat esse scyphus, cyathus, aut poculum cōmune; nullo discrimine à profanis ἐκπωμάτων schematibus distans; an verò sacrū, & religiosum, cuiusmodi nomine calicis audito concipimus, animoq; informamus. Neq; huc facit dictum S. Bonifacij de *aureis sacerdotibus, ligneis calicibus, deq; ligneis sacerdotibus, & aureis calicibus*: quia qualescunque sint vel fuerint nostri sacerdotes; saltem calicibus vsi sunt; non scyphis, non cyathis, vt iam isti calicum osores, iuratique hostes faciunt. Nec

dixit S. Bonifacius, *olim* ſacerdotes fuiſſe aureos; *pocula* verò lignea: ſed, *calices* ligneos. Nec dixit, nunc *pocula* eſſe aurea; ſed *calices* eſſe aureos. Et ad hoc plumbeos Caluiniſtas vel in primis animum oportebat aduertere.

Apoc. 17.

V. Embdenſium ratio; *Vt ſe longius ſeparent à meretricia illa muliere, quæ ſedet ſuper beſtiam coccineã, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Quæ mulier habet poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione.* Reſpondeo; ſi quis hãc rationem abſque ambagibus clarè, & dilucidè proponere vellet, is diceret; Caluinianos iſtos, *Calices*, & *corporalia* repudiaſſe eo conſilio, vt eo minus ſimilitudinis, & cognationis cum Papa, & Papiſtis habeant. At ſi hoc duntaxat quærunt, fiant Turcæ, & longius à Papa, & Papiſtis diſtabunt; ſi tamen Turca longius à nobis, quàm Caluiniſta diſtat. Abiiciant & contemnant tota Biblia; abnegent Chriſtum, ipſamq; ſacroſanctam Trinitatem. Hac enim ratione quàm remotiſſimè à Pontifice Romano ſeſe remouebunt. Cur poculis, ſcyphis, & cyathis ſeſe à Papa diſcriminant? Aliquod inſignius, & notabilius diſcrimen meditentur. *Non omnes arbuſta iuuant, humilesq; myricæ. Maius opus moueant.* Vereor, ne, dum maximè à muliere illa Apocalyptica ſeſe abſcedere ferunt; quàm maximè appropinquent. cuius rei ſuſpicionẽ mihi cùm alia, tùm quod manu geſtat, poculum, iniiciunt. Amant enim iſti *poculatores* poculum. Quomodo ad hoc poculum, & quidem aureum, non aduolarent? ſi calicem manu teneret, in fugam ſe proriperent: at nunc poculũ oſtentat, dulce & gratum iſtis inuitamentum.

VI. Ratio: *Quia vaſa ſacrificij Miſſæ alio non ſunt habenda loco, quàm olim vaſa, & inſtrumenta ſacrificij Baalitici, quæ Rex Ioſias ſuſtulit, flammisq; abſumpſit. 4. Reg. 23.*

Videt lector, quo loco impii iſti vniuerſos Germa-

nos

nos ab introducto Christianiſmo, vſq; ad eiuſdem per Caluiniſtas & Lutheriſtas demolitionem, reponant: nimirum, non alio, quàm idololatricos illos, & nefarios Baalis cultores, & ſacrificulos. Itaque tot magnificentiſſima, & regio apparatu exſtructa per Germaniã templa; tot opulentiſſimi Epiſcopatus ab Imperatoribus, Regibus, & Principibus fundati; tot nobiliſsima & ampliſsima ſacerdotum, & religioſorum Collegia & domicilia condita; in gratiam & honorem Baalis, vel alterius idoli Baali paris exædificata fuêre: totque Imperatores, Reges, Principes, incomparabiles & inuictiſsimi Heroës, nihil aliud fuêre, quàm quod olim Baalis; impuri miniſtri, fautores, & promotores egerunt. Macti eſtote, ô Germani, quotquot ante Lutherum, & Caluinum vixiſtis, hac laude à Caluiniſtis, præpoſteris veſtris poſteris, conceſſa: quandoquidem quod mihi luce clarius, nullus penitus veſtrum aut Caluiniſta, aut Lutheriſta fuit; hoc eſt, nullus penitus veſtrum id per omnia credidit, quod hodie Lutherani, & Caluiniani ſuis in Confeſſionibus credendum proponunt.

At ſi, vt blaſphemant Caluiniſtæ, vaſa & inſtrumenta Miſſæ noſtræ non ſunt melioris conditionis, quàm vaſa ſacrificiorum *Baaliticorum*; cur non Ioſiam regem imitati, calices cum patenis aureis, & argenteis exuſſerunt, & in puluerẽ redegerunt? Cur partim conflarunt in maſſas, vt olim Donatiſtæ? Cur partim alios in vſus verterunt? Cur partim vendiderunt? Nihil certè horum hi tãti, & tã accurati Regis Ioſiæ imitatores facere debebant: ſed vniuerſa tenues in auras ſubiectis ignibus diſſipanda erant.

Reſpondent; *illud de comburendis vaſis fuiſſe duntaxat præceptum politicum & temporale, Iſraëlitis tantummodò præ-*

ſcriptum.ſed vt politicum præceptum fuerit,an adeò impoliti,& inciuiles eſtis, vt nullum politicum præceptum obſeruandum cenſeatis? Deinde, quomodo politicum præceptum eſt, quod in argumento religionis verſatur, non in materia ciuili? *Temporale* fuit; ad veſtra, opinor, vſq; tempora: quando auri, & argenti amore illecti, abrogaſtis,& antiquaſtis, quod aliòqui ſanctiſsimè, & inuiolabiliter cuſtodiendũ clamitaſſetis. Ita pro veſtra cupidine idem fit æternum,& temporarium,prout vertigo vel vertitur, vel inuertitur.

Sic nihil ad vos illud præceptum Deut. 7. *ſculptilia eorum igne combures; non concupiſces argentum,& aurum, de quibus facta ſunt:neque aſſumes ex eis tibi quidquam*,&c. *Nec inferes quidpiam ex idolo in domum, ne fias anathema, ſicut & illud eſt: Quaſi ſpurcitiam deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis; quia anathema eſt*. Si omnes *patenæ*, omneſque *calices*, & omnes templorum orthodoxorum imagines, fuiſſent vel vitreæ, vel ligneæ, vel lapideæ; totis viribus,clamoſiſsimiſque declamationibus contendiſſent iſti;hoc Domini præceptum rigidè, & ad vnguem obſeruandum; exemplumque Ioſiæ quàm accuratiſsimè imitandum eſſe: neque quidquam priuatos in vſus vertendum; nec in vllius domum quidquam inferendũ: vtpote immundum, abominandum, & deteſtandum.Nunc poſtquã *calices* cum *patenis* aureos, & argenteos,& ex eâdem materia innumeras imagines(quas ipſi ſcelerato ore *idola* vocant) repererunt; mitius legem illam interpretandam arbitrati ſunt.Quis enim calicem aureum,aut auream Saluatoris, Deiparæ,alteriuſue cælitis effigiem adeò pertinaci odio perſequatur, vt eam ſuccedere ſedibus,& ædibus ſuis pati non poſsit? Nimis profectò hoc foret immane,& plus quàm Scythicum.

Sed

Sed quoniam in hoc argumento versamur, sciscitari lubet ex Caluinistis, cur non etiam ipsa templa, in quibus olim sacrificium Missæ celebratũ est, funditus euerterint, exemplo Iosiæ; qui, tot aras, tot Excelsa, & tot idololatrica fana disturbauit; exemplo item Iehu, & sociorum; qui ædem Baal mutarunt in latrinas.

4. *Reg.* 10.

Et quamuis scio, Caluinistas innumerabilia Catholicæ Ecclesiæ templa ex fundamentis subruisse; & ad solum vsque prostrauisse; noui tamen, ab iisdem non pauca fuisse seruata. Itaq; quod Optatus Mileuitanus de Donatistis dixit; qui, quædam altaria frangebãt: quædam tãtùm radebant, aut remouebant: & quædam loca à Catholicis facta, lauabant; quædam non lauabant: *Si oportuit frangere, rasisse peccatum est. Si enim non licuit, sicut inter vos placuit, rectè videtur fregisse, qui fregerit. iam reus est, qui maiorem partem radendo seruauit*; idem & in Caluinistas & Lutheristas vsurpare licet. si templa nostra demolienda fuere, quia idololatriæ seruierunt; omnia euertere, nullumq; integrum relinquere oportuit: quia omnia à primo ortu, illi cultui destinata sunt, quem vos pro idololatrico sacrilegè reputatis. *In omnibus iudicium prouidentiæ vestræ debet esse æquale.*

Optat. lib. 6. cont. Donat.

Aut vtrunque laua; (codicem Bibliorum, & velamina altarium) *aut vtrumque dimitte*, inquit Optatus Donatistas redarguens. Pari modo, tu Caluinista, aut omnia templa euerte; si propter Missæ sacrificium euertis; aut omnia intacta dimitte. *Quod si aliter facias, corrupisti diligentiam tuam. si in vna parte bonum, in altera malum est; non potes negare, te offendere in vna, si in altera promereris. Et, si gaudes, quod in vna parte videaris religiosus; debes & plangere, quia teneris in altera parte sacrilegus.* Si quædam templa euertendo *promeriti estis Deum; alia non euertendo, in expiabile*

bile videmini incurrisse peccatum. Cùm igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi neglìgentes estis inuenti: si tamen diligentia dicenda est stultitia, & vt vero nomine appelletur, sacrilega impietas vestra.

Obiicient fortè; *neque Iosiam destruxisse templum Domini; quamuis idololatriæ spurcitiis contaminatum fuisset.* Cur ergò Iosiam non estis imitati; & templa, quæ, vestro iudicio, maculata fuerant, non reliquistis integra; contenti expurgatione, & emundatione? Nulla enim ratio suppetebat, cur quædam euerteretis, quædam cōseruaretis, si omnia idololatrica fuêre; & propter idololatriā euerti digna. Cur quædam venia dignati estis; quædam simpliciter ad euersionem damnastis, cùm omnia in eâdē culpa hærerent? Deinde Iosias templum Hierosolymitanū idcirco non euertit; quia ab initio non Baali, sed vero Deo ædificatum, & dedicatum fuerat. Itaque satis erat tollere id, quod Dæmon superstruxerat: relictis aliis, quæ vero Deo, eiusque legitimo cultui destinata fuerant. At nostra templa, à primo suo exortu & conditu, sacrificio Missæ immolando, hoc est, vt calumniantur Caluiniani, *idololatrico* cultui deputata sunt. Neque vllum in tota Germania demonstrabunt isti templum, quod primitus pro Caluiniano, aut Lutherano verbo exstructum fuerit.

Itaque si quis rem ad viuum resecare velit, causam, cur nonnulla templa reliquerint integra, aliam non reperiet; quàm vt sumptibus & impensis parcerent, homines mirificè parci, vbi de templis exstruendis, aut ornādis agitur. Auaritia ergo & tenacitas, non religio, & probitas istorum, templa nonnulla reliqua fecit. Quæ isti emundarunt, sed eo modo, quo fures, quando in plenā nummis arcam incidunt, eam emundare, & expurgare solent.

ſolent. Emundarunt eo modo, quo Turcæ templa Chriſtiana emundare conſueuerunt. Emundarunt, ſed emũdatione Caluiniana, quæ conſiſtit in ſupellectile ſacra furtificis manibus harpaganda; in imaginibus deturbandis, & concremandis. Vno verbo; in omnibus Catholicæ fidei monumentis, quantum fieri poteſt, abolendis.

Cur non imitamini Donatiſtas, fratres veſtros; qui multis in locis, vt ait Optatus, etiam *parietes* templorum Catholicorum *lauare voluerunt, & incluſa ſpatia ſalſa aqua ſpargi præceperunt.* Si quid eiuſmodi Caluiniſtæ feciſſent; ſtatim his interrogationibus aures eorum pulſaſſemus. *Dicite, quid vobis fecerat locus? Quid ipſi parietes, vt iſta paterentur? An quia illic rogatus eſt Deus? An quia illic laudatus eſt Chriſtus? An, quia illic inuocatus eſt ſpiritus ſanctus? An quia nobis abſentibus* (& necdum natis) *illic Prophetæ, & ſancta Euangelia recitata ſunt? An quia vnitas, Deo placita, in qua habitabat, inuenerat domum? Iudicate, quid illic lauare potuiſtis? ſi Catholicorum veſtigia; & in vico, & in platea calcauimus: quare non omnia emundatis?* Hæc, & plura talia eleganter, & ſcitè Optatus in Donatiſticos templorum Orthodoxorum lotores. Sed progrediamur iam ad alias Embdenſium rationes expendendas.

Septima Ratio: *Calices, & corporalia ſublata ſunt, vt nos conformemus, propter publicam profeſſionem faciendam, iis templis, quæ quàm proximè ad verbum Dei accedunt.* Si tẽpla illa, quàm proximè ad verbum Dei accedunt; in quibus nulli *calices*, & nulla *corporalia*; tunc Turcica, & Saracenica fana propinquiſſimè ad verbum Dei accedent. quia nõ tantum *calicibus*, & *corporalibus*; ſed & aliis Chriſtianæ fidei ſymbolis funditus carent. Templa item veterum Chriſtianorum verbo Dei non fuêre conformia,

si isti vera canunt: quia in iis reperire fuit *calices* & *pallas*, seu *Corporalia*; vt, cùm ex aliis, tū ex antiquissimo scriptore Tertulliano, & ex Optato Mileuitano liquet. Taceo, hinc sequi; templum Salomonis verbo Dei penitus cōtrarium fuisse. Nam si templorum cōuenientia cum Verbo Dei in hoc est sita: vt vasis aureis, & argenteis careat: præterque mucidum scyphum *potatorium* nihil possideat: vtique templum Hierosolymitanum plusquàm toto cælo à verbo Dei deflexit: quia, vt innumeris, ita & preciosissimis vasis, & vtensilibus à conditore suo, aliisque Regibus ditatum & dotatum.

Tertull. lib. de Pudicitia. Optat. lib. 6.

Vltima exerminationis causa: *Ne infirmiores existiment calices, & corporalia retineri in gratiam Papæ.* Quæ existimatio Euangelio Caluiniano parum fructuosa, imò valdè exitiosa foret. Hinc diligentissimè Caluinistis enitendum est, ne quid videantur in gratiam Papæ facere. Forsan etiam parati sunt articulos de sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis mysterio abiicere; si quis opinetur, eos, his articulis assentiri, vt Papæ gratificentur. Hactenus Embdensium rationes: qui eas attulisse non contenti, etiam ad obiectiones suorum aduersariorum respondere tentant.

I. Obiectio; Sacramentum reuerenter, honestè, & purè habendum, & tractandum est.

Responsio Caluinistarum; *Hoc etiam fieri potest absque Papisticis corporalibus, & calicibus. quia propriè ad cultum, & honorem Sacramenti nō pertinet aurum & argentum, sed corpium, & deuotum: iuxta illud Paulinum: Probet autem se ipsum homo; & sic de pane illo edat, &c.*

Refutatio: Licet aurei, & argentei calices, & corporalia non pertineant principaliter ad honorem Sacramenti; pertinent tamen, & faciunt longè plus ad hono-

rem

rem Sacramenti, quàm ſcyphus Caluiniſticus vitreus, ligneus, aut ſtanneus; forma vulgari præditus. neque ipſa ſpecie ſua externa ſanctum quid, & religioſum præ ſe ferens; vt præ ſe ferunt Eccleſiaſtici noſtri calices. Iam quis neget *Corporale* mundiſſimum, ex ſubtili, & tenui lino contextũ, plus cõferre ad honorem, & gloriam huius Sacramenti amplificandam, quàm mappam aliquam craſſæ telæ; ab illis, quibus quotidie menſas ſternimus, nihil diſcrepantem? Etiam olim in veteri teſtamento aurum & argentum; byſſus, purpura, & precioſiſſima quæque cultui diuino adhiberi ſolita; principaliter ad cultum & honorem Dei non pertinebant; ſed animus pius, Deoq; deuot⁹; *corq́; contritum, & humiliatũ:* pertinebant tamen ad cultum; & gloriã Dei, per ſe loquẽdo, magis illuſtrabant; quàm ea, quæ minoris erant precij. Quia, quò precioſiora ſunt, quæ Deo conſecrantur, & in quibus diuina myſteria peraguntur; eò, per ſe loquendo, maiorem ſubiectionem, & reuerentiam erga Deum, & excellentiorem exiſtimationem, quam de illo concepimus, palàm teſtãtur. Quis enim abnuat, inſignem de illo exiſtimationem haberi; quem non niſi præſtantiſſimis rebus colendum eſſe re ipſa declaramus?

Quis etiam abnuat, externam cultus materiam in auro, argento, gemmis, margaritis, & id genus aliis magni valoris rebus ſitam; plus honoris, & gloriæ Deo, per ſe loquendo, conciliare, quàm materiam vitream, plumbeam, ferream; ſimilemue minoris ponderis & exiſtimationis? Certè Ioſeph ab Arimathia, magis honorauit Chriſtum, quando exanime corpus mundiſſima ſindone inuoluit, & in monumento nouo repoſuit; centumq́ue libris myrrhæ, & aloës allatis, religioſè inunxit: quàm ſi Redemptorem noſtrum panno ſpiſſi fili texiſſet, vnguẽ-

toque vili delibutum in veteri, & à multis aliis insesso tumulo collocasset. Magis etiam Christum venerata est Maria, quæ accepta *libra nardi pistici preciosi* pedes Saluatoris inunxit,& capillis suis extersit;quàm si vnguentum minoris precij adhibuisset.

Itaque, vt rem in pauca conferam, ad cultum & venerationem Sacramenti huius adferendum est cor à flagitiis expurgatum, mundum, labis integrum, & sceleris purum: sed non negligenda sunt externa, internæ deuotionis & existimationis symbola; quæ eò erunt dilucidiora & grauiora,per se loquendo; quò in præstantiori materia versabuntur.

II. Obiectio. *In verbis Cœnæ fit mentio calicis.*

Responsio Caluinistarum. *In Græco non reperitur calix: sed ποτήριον, quodlibet vas potorium significans. Cùm verò in papatu calices vsitati fuerint; Germanicè redditum est Græcum illud; per vocabulum* Kelch: *cùm tamen hæc vox non exstet in institutione, vt notum omnibus Græcè peritis.*

Refutatio: Licet Græcus textus non habeat vocem *calicis*, seu κύλικος; tamen ποτήριον illud à Christo vsurpatũ, fuisse calicem, docuimus suprà plurimis argumẽtis: quæ non itero. Placet, quòd in *papatu* calices vsitatos fuisse fatentur. Antiquissimum igitur oportet esse *papatum*: quãdoquidem & Tertullianus *calicum* in Catholica Ecclesia vsitatorum meminit. Placet, quod fatentur, Græcum ποτήριον expressum fuisse per Germanicum Kelch. Hinc enim patet, omnes Germanos ante hos nouitios, credidisse, vas, quo Christus vsus, fuisse calicem, Ein Kelch: quæ vox altius in Germanorum pectoribus hæret; quàm vt nouis istis Caluinisticis poculis, & cyathis funditus inde eximi queat. Hinc & Lutherus, quamuis cetera impudens, vocem Kelch sua in versione retinuit.

III. Obie-

III. Obiectio: *Cùm in textu Græco neque calices, neque cyathi, seu scyphi exstent; cur non æquè calices, ac cyathi & scyphi retineri & vsurpari possent?*

Responsio Caluinistarum: *Multæ sunt causæ, cur calices tolerari nequeāt.* I. *Quia in papatu idololatricæ Missæ vsibus destinati fuêre.* II. *Quia, ad hanc specialem poculi formam Christiani obligati fuêre.* III. *Quia versi sunt in necessitatem, Euangelio aduersam.* IV. *Quia necessarium est, vt quàm longissimè à papatu recedamus: neque vlla in re characterem bestiæ præferamus.*

Responsio; Ad primam causam dico: Pari ratione, si amentia, & insania ratio appellari potest; omnia penitus templa à Caluinistis destruenda fuisse: quandoquidem omnia omninò in Germania templa, ab istis scelerate & sacrilegè occupata, sacrosanctæ Missæ sacrificio peragendo, & cœlesti hostiæ immolandæ quondam seruierunt.

Ad II. dico: Si Christiani nequeunt ad certam poculi formā adstringi, cur Caluinistæ obstringunt suos ad cyathos, & scyphos: hoc est, ad illa pocula, quæ nullam cum calicibus in specie conueniētiam, & similitudinem habent? An non ad certam formam poculi adstringitur; cui aliqua poculi forma prohibetur? Nā, si ad nullam adstringitur, omnibus ergo vti potest. At Caluinistæ non possunt omnibus vti: quia non possunt vti forma calicis, sic enim edicunt Caluinistici isti Tribuni: *Propter grauissimas causas, non sunt amplius calices res indifferens & permissa: sed debent, propter abusus, hypocrisin, & scandala vitanda exterminari.*

Ad III. Penes æquum lectorem arbitrium esse volo, quidnam magis Christianæ libertati repugnet; illudne; quod Catholica Ecclesia præcipit, vt in Eucha-

ristiæ mysteriis conficiendis, & peragendis, necessariò vtamur calicibus, ad totius vetustatis exemplum, & imitationem; an illud, ad quod Caluinistæ suos adigunt, vt à calicibus necessariò abstineant. Nam quod *abusus*, *superstitiones*, *hypocrisin*, & *scandala* occinunt, antiquum obtinent: homines ex *abusibus*, *superstitionibus*, *hypocrisibus*, & *scandalis* consuti, lucem tenebras, & tenebras lucem reputantes: & nil, nisi quod proprium cerebrum dictat, amplectentes.

Ad IV. dico; si huc tendunt, vt sua in secta quàm lõgissimè à Papa, & papatu se remoueant, tùm ad Trinitarios, Turcas, & Ethnicos transeant, vt ab eo, quem tantopere oderunt, interuallo quàm maximo distent. Hactenus de hac materia.

At quid de altarium euersoribus, & calicũ hostibus maiores nostri?

Optatus lib. 6. cont. Parm.

Grauissimè olim Optatus Mileuitanus inuectus est in Donatistas, quòd altaria, & calices Catholicorum fregissent, rasissent, remouissent: inuecturus proculdubio longè vehementius in hodiernos sectarios, si idem sacrilegium ab illis perpetrari conspexisset: quemadmodum id nos in dies singulos conspicimus. *Quid est tam sacrilegum*, inquit, *quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis*, (& obtulerunt Maiores, à quibus degeneres isti nepotes per summam impietatem desciuerunt) *frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt. Quo Deus omnipotens inuocatus sit. Quo postulatus descendit Spiritus sanctus. Vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Saluator poni, nisi quæ essent de pace condita. Depone, inquit, munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, vt possit pro te sacer-*

cerdos offerre. Quid est enim altare, nisi sedes & corporis, & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut remouit.

Hîc siste gradum lector, mecumque considera; num Optatus,& illi, quorum causam agebat Optatus;an verò illi, contra quos agebat Optatus,Caluinistæ fuerint? Optatus,& qui ex parte Optati, habebant in Ecclesiis altaria, Num hoc Caluinianum? Ait Optatus; in altaribus *offerri*,hoc est, sacrificari cõsueuisse. Num hoc Caluinianum? Ait Optatus; *mẽbra Christi in altaribus portata.* Quis Caluinianus idem affirmat? Ait Optatus; altare nil esse nisi sedem corporis, & sanguinis Christi. Num idem sensus Caluinistis? Num corpus, & sanguinem Christi in altari præsentia confitentur? Num membra Christi in altari *portari* arbitrantur? Nihil prorsus hîc Caluinianum video.

Ex altera parte Caluinismum spirat, & ad viuum repræsentat, furiosa illa altarium fractio, vt Donatistis, sic & Caluinistis vsitatissima. Tametsi profectò in hoc impietatis certamine Caluinistæ Donatistas lõgissimo post se interuallo relinquunt. Hi enim aliquando altaria non frangebant,sed radebant,vel saltem remouebant. At isti, vitam sibi iniucundam existimarent, si vel vnum suis in fanis altare integrum relinquerent: aut non comminutũ ex oculis dũtaxat remouerent;quod tamen à Donatistis factũ:quos, ob hãc in altaribus vel demoliendis, vel radendis, vel remouendis differentiã, salsè ridet Optat⁹: *Hoc inexpiabile,*inquit,*nefas,si de aliqua ratione descẽdit,vno modo fieri debuit.sed, vt æstimo, alio loco copia lignorũ frãgi iussit: alio loco copia lignorum frangi iussit: alio, vt altaria raderent, lignorum inopia imperauit.vt remoueretur ex parte, verecundia iussit:vbique tamen nefas est, dum tanta rei manus*

 sacri-

sacrilegas, & impias intulistis. &c. En manus, quæ altaria demoliuntur, iudice Optato, sacrilegæ sunt, & impiæ. sacrilegæ igitur, & impiæ sunt manus Caluinisticæ, tot milliũ altarium demolitrices.

Si liuoris iudicio nos vobis sordidi videbamur; quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? En locus orationis, & inuocationis est altare. *Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta sanguis Christi habitabat?* Antea vocauerat altare corporis, & sanguinis Christi *sedem*: nũc corporis, & sanguinis Christi *habitaculum*. Num hoc ex Caluini schola venit?

Quid vos offendistis etiam vos ipsi (& maiores vestros) *vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia* maiores vestri *sanctè obtulerant? Dum impiè persequimini manus nostras illic, vbi corpus Christi habitabat, feristis & progenitorum vestrorum manus. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce; à vobis percussus est in altari. Si Catholicos illic insectari voluistis, vel maiorum vestrorum illic antiquis oblationibus parceretis. Ibi modò superbus inuentus es, vbi iam dudum maiores tui humiles offerebant. Ibi libenter peccas, vbi pro multorum peccatis maiores tui orare consueuerant. Hoc faciendo, in numerum sacrilegorum sacerdotum libenter intrastis, sociati sceleribus profanorũ, de quibus apud Dominum Helias Propheta querelam deponit. His enim locutus est verbis: quibus & vos inter alios accusari meruistis: Domine, inquit, altaria tua confregerunt, Dum dicit, tua, indicat, quia res est Dei, vbi Deo aliquid, à quocunq; oblatum est. sufficeret insania vestræ, quod membra laniastis Ecclesiæ; quod Dei populos iam dudum in vnitate positos, vestris seductionibus diuisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus euertistis? Illac ad aures Dei ascendere populi solebat oratio. Cur*

con-

concidiſtis precibus viam, & ne ad Deum ſupplicatio de more ſolito aſcenſum haberet, impia manu quodammodò ſcalas ſubducere laboraſtis, &c.

Et hoc immane facinus geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices Chriſti ſanguinis portatores; quorum ſpecies reuocaſtis in maſſas, mercem nefariis nundinis procurantes; ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè vendidiſtis. Paſsi etiam eſtis comburi manus maiorum veſtrorum, *quibus ante nos eoſdem calices tractabant. Eam rem tamen paſſim vendi iuſsiſtis. Emerunt forſitan in vſu ſuos ſordidæ mulieres. Emerunt pagani,*(& potatores vini)*facturi vaſa, in quibus incenderēt idolis ſuis;*(& Bacchi laticibus gulæ ſuæ litarent)*O ſcelus nefarium. ô facinus inauditum. Auferre Deo, quod idolis præſtes. ſubducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio.* Hæc grauiſſimè ſimul & elegantiſſimè Optatus in veteres, & recentiores altarium euerſores, ſacrorumque calicum nefarios confractores, & venditores.

CAPVT XVII.

De ornatu Eccleſiaſticorum miniſtrorum, quo ſacram Euchariſtiam conficiunt, & adminiſtrant.

COMMVNIS orthodoxorum ſenſus, & exiſtimatio eſt, ſacræ Euchariſtiæ Sacramentum nō habitu vulgari, ſed ſacro, & ad hunc vſum deputato ab Eccleſiæ miniſtris conficiendū, & adminiſtrandum eſſe. Cui enim Germanorum orthodoxiæ adhærentium ignota ſunt illa ſacrorum veſtimentorū vocabula, ein Meßgewand/Stol/Alb/Leuitenmantel/Leuitenrock/Rauchmantel/Chorhock/ſeu Chorhēdd. Quæ omnia, licet vetuſtiſſimo Eccleſiæ more

Bellar lib.2.de Missa,cap.14. Soar Tom. 3. d 82. sect.2.

re recepta, & vsurpata, vt patet apud Bellarminum, & Franciscum Soarium, Caluinistæ exterminare contendunt; & nonnullis Lutheranorum has vestes aliquatenus saltem adhuc retinentibus, grauiter succensent; vt & sectæ suæ consortibus in Anglia; qui impuro Caluinismo affixi, necdum ad puritatem Caluinismi Geneuensis, Belgici, vel Germanici peruenerunt.

Ne tamen sacras vestes à profana sua Cœna sine causa expulisse videantur; has facti sui rationes reddunt.

I. *Quia talia vestimenta neque à Christo, & Apostolis præcepta, neque vsurpata fuerunt; sed ex sola institutione humana profluxerunt.* Respondeo; si quis ex Caluinistis sciscitaretur, vnde hoc compertum habeant: obmutescerent, opinor; vel, ad solenne illud suum confugerent: *Non est scriptum; ergò nec præceptum, nec factum.* Cui elumbi & enerui, milliesq; à Catholicis scriptoribus eneruatæ consequentiæ, isti potissimam impietatis suæ machinã inædificant. Et vt maximè Apostoli huiusmodi vestibus nõ fuissent in vsu Eucharistiæ vsi; quod tamen Caluinistæ nunquam demonstrabunt; vt multùm connitantur, & sudent; an ideo Ecclesia, quæ Apostolos statim subsecuta est, iure instituendi & introducendi, & præcipiendi caruit? An non propterea Spiritum sanctum accepit, vt ab eo in omnem veritatem duceretur, & eius instinctu ac impulsu ea, quæ ad ornatum domus Dei; maioremq́ue erga Sacramenta reuerentiam, ampliorемq́ue supremi numinis cultum spectant, præscriberet, & ministris suis sanctè obseruanda proponeret? scilicet sacratiora erant illa, quæ Aaronici olim sacerdotes tractabãt, quàm religionis nostræ Sacramenta, quibus administrandis, & dispensandis sacerdotes nostri occupantur: vt proinde illi peculiaribus vestimentis, dum sacris operàbantur, vti

vti debuerint, vt ipſo etiam externo cultu præ ſe ferrent, ea, quæ agebant, non eſſe profana, non vulgaria; ſed ſancta & cæleſtia: noſtris autem ſatis ſit, vt auguſtiſſimum myſterium, quo nullum ſublimius vlla ætas vidit; ritu & habitu vulgari, & in forenſibus etiam actionibus trito peragant: neque externo ſchemate, maieſtatem tāti Sacramenti profiteantur.

Si, vt Apoſtolus teſtatur, *omnia antiqua legis in figura contingebant*, hoc eſt, futurorum imagines, & typi quidā erant; quis non videt, ipſum etiam ſacerdotalem ornatum in Teſtamento veteri, fuiſſe imaginem, & typum eius, qui in nouo Teſtamento inſtituendus erat? Sed en Caluiniſtæ ex hoc ipſo argumentum contra nos depromunt. Altera enim cauſa, quam reddūt, cur veſtes ſacras à Cœna ſua ablegarint, eſt iſta.

II. *Quia talis habitus repugnat Teſtamento nouo. ſimilitudinem enim habet cum Aaronico ſacerdotio*; citantq; caput 9. v. 9. Epiſtolæ ad Hebræos. Si tollendum eſt, quidquid aliquam ſimilitudinem cum rebus antiqui Teſtamenti gerit; tunc abrogent, penitusq; aboleant ſuam Cœnam: quia ſimilitudinem habet cum eſu agni Paſchalis, cumque manna: vt quidem Caluiniſtæ exiſtimant: (nam ſi veritatem ſpectare, & fateri velimus, nec agnus Paſchalis, nec manna typus Cœnæ Caluiniſticæ fuit; ſed Euchariſtiæ, prout in Catholica Eccleſia conficitur, diſpenſatur, manducatur:). Tollant baptiſmum: quia ſimilitudinem habet tanquam figuratum cum figura, cum tranſitu populi Iſraëlitici per mare rubrum, & cum circumciſione. Tollant templa vniuerſa: quia ſimilitudinem habent cū templo Salomoniaco. Tollant denique totam Chriſtianiſmi formam; quia ſimilitudinem habet; tanquam ſignatum cum ſigno, cum forma Reipublicæ, & Eccleſiæ

Q Hæ-

Hebrææ. Neq; in citato Epistolæ ad Hebræos loco quidquam exstat, ex quo colligi queat, nefas esse Christianis sacerdotibus peculiari, & extraordinario habitu in Sacramentorum tractatione vti.

III. *Est inanis, & superflua cæremonia.* Hoc quidem affirmant Caluinistæ; sed, non probant.

IV. *Vestitus Cœnam nec meliorem, nec digniorem efficit.* Respondeo; in se neq; meliorem, neque digniorem fieri ex habitu. Fieri tamen meliorem, & digniorem ratione hominum: qui de Eucharistia longè excellentiorem opinionem concipiunt: si videant, eam alio ritu, quàm vulgaria tractari. Plus etiam laudis, & gloriæ Deo hoc conciliat; & ad maiorem venerationem creatoris, & ad euidentiorem subiectionis nostræ professionem spectat.

V. *Peculiaris habitus est insigne Papistici Antichristi. Procul ergo habendus, & arcendus est.* Respōdeo; si res ita se habet; tum sequitur, vniuersum orthodoxū mundū vsque ad Caluinistarum ortum, tulisse Antichristi stemmata & insignia: quia vniuerso orthodoxo mundo peculiaris habitus in sacris vsitatus & vsurpatus fuit.

VI. *Vestitus iste sacrificio Missæ seruit*; quod isti blasphema lingua *nouum Deum Maozim* appellant: *non est igitur adhibendus Cœnæ.*

Respondeo; hac causa præcipuam causam tangi, cur sacras vestes Caluinistæ à Cœna sua ablegarint. Quia enim clarè intuentur, hæc vestinenta nil aliud esse, quàm luculentissima eius fidei, & religionis testimonia; quæ sola, ante Lutherum, & Caluinum, pro vera, & orthodoxa habebatur; ideo, vt alia, ita & hæc antiquæ fidei symbola, & argumenta explodunt. Quò tandem, omnibus sublatis; illi, qui ea solùm, quæ ante pedes versantur, cernunt; sibi persuadeant; nullam, nisi Caluinisticam sectã,

in

in orbe viguisse: huicque soli antiquitatis elogia competere.

Eandem ob causam remouerunt à sua Cœna *luminaria*: quia nil magis noctuis & nycticoracibus aduersum est, quàm lumen: cœnamque potius Stygiam, quàm cælestem, magis caligo, quàm rutilantis luminis splendor decet.

Postea soluũt Caluinistæ rationes, quibus Lutherani permoti, aliquibus in locis Cœnas suas instituunt non sine luminibus & *casulis*, ad Catholicæ Ecclesiæ nonnullam imitationem. quorum rationes, vt & à Caluinistis datas solutiones, parum moramur. quia, nobis in sacris vestibus, luminibusq; retinendis sufficit vniuersalis Ecclesiæ praxis, & consuetudo: quam his intrepidè opponimus: nihil absterriti insanis illis Lutheri clamoribus: *Ego clamo, Euangelium; Euangelium; Christus, Christus. Ipsi respondent, Patres, Patres: Vsus, Vsus; statuta, statuta, &c.*

Luth lib. contra Regem Angliæ.

Lepida porrò est illa Lutheranorum ratio: Vestes sacras retineri debere in vsu Cœnæ; *vt ministri sacris vestibus induti, honestiore tegumento paupertatem, & nuditatem velare possint.* Meritò hanc rationem irrident Caluinistæ, tanquam parcitatis Lutheranæ luculentum indicium: quæ Prædicantes tam arctè, & contentè habet, vt, nisi casulis, superpelliceis, & id genus aliis sacro vsui destinatis operimentis sese contegant; honestè suorum in cœtu cõparere nequeant.

Nõnulla ex his, de quibus hactenus disseruimus, Ecclesiastica instituta retinent non modò quidam Lutherani; sed & illi Caluiniani Angli, quos *Caluinopapistas* appellant; vt à Puritanis discriminentur. Quod Beza in Epistola ad Episcopum Londinensem eis dat crimini; omnia ad *puritatem* Lemannicam reuocare & reformare cõten-

Epist. 8. Tom. 3. operum Theolog.

tendens. *Rumor ad nos est perlatus*, inquit Beza, *quorundã etiam ex Gallia, & ex Germania literis confirmatus, multos istic Ministros verbi, inculpatæ aliôqui tũ vitæ tũ doctrinæ homines, idcircò fuisse à Regia Maiestate, vobis etiã Episcopis approbãtibus exauthoratos, quòd certis quibusdã nouis ritib⁹ subscribere recusarint. Eorum autem mandatorum summam aiunt, vt non tantum vestes illas, Baalis sacerdotum insignia in Papatu, sed etiam ritus quosdam, qui iam olim in turpißimas superstitiones degenerarunt, veluti crucis consignationem, genuflexionem in Cœnæ communicatione, & si qua sunt huius farinæ, rursus admittant.* Ita impius ille: qui porrò insanire pergens.

Quod attinet ad Cœnam Domini, inquit, *quis sine lacrymis commemorare poßit, quàm miseris modis in theatricam saltationem, & horrendam illam idolomaniam sit transmutata? Huic autem corruptioni primum aditum patefecisse imprudentem illorum zelum, qui Christi, & Apostolorum simplicitate contenti non fuerunt, non est, opinor, quòd multis verbis probemus, quũ ita se rem habere, veteres, & nouæ tũ Orientis tũ Occidentis λειτεργίαι, tanto impuriores, quãto sũt operosiores, manifestißimè conuincant*; (scilicet simplicitas Apostolica est omnes ritus, ceremoniasq́;, quę vel Caluini vel Bezæ naso displiceant in exiliũ relegare, & omnia ornamenta Ecclesiastica proscribere; vel potius furtiuis mãibus diripere ac deprædari) *Et hîc non dubito, quin satis animaduerteris, quàm versutum sese præbuerit Satan. Quis enim non existimauerit ἀδιάφορον esse, siue altaris, siue mensæ alicuius vsum? Itaque introducta sunt paulatim pro mensis altaria, quòd nimirum vulgares mensæ, quibus tamen veteres illi, vel propter suas ἀγάπας vtebantur, tam augustis sacris non satis conuenire viderentur. Atqui, primam hanc occasionem arripuit Satan sacra istius actionis non dandi, sed accipiendi Christi causa instituta*

tutæ

tuta, in sacrificium etiam ἱλαστικὸν *transformanda, & Christi mortis, quæ ibi annuntiatur, fœdissimè conculcandæ.* (Malè prodis originem. Semper in Ecclesia fuêre altaria. semper sacrificium: simul nata, paritérq; cœpta sunt. Nec altaria fuêre caussa sacrificij; sed Christus, qui sacrificiũ instituit. Etsi instituto sacrificio, necessaria fuêre altaria; quia in altaribus sacrificium peragitur & immolatur) *Non placuit simplex & communis apparatus, idcircò conquiri marmora, inaurari parietes, vasa aurea, & argentea cõparari, preciosæ etiam, & Pontificales, atque adeò Imperatoriæ vestes Ministris circundari cœperunt, honorandi scilicet Sacramenti caussa.* Meritissimò. Si hoc olim factũ in veteri Testamento, cur non fieret in nouo? An minus præstantia sunt nostra mysteria & Sacramenta, quàm illa prisca? Nec est simplicitas Deo nil offerre ac dicare, sed potius vulpina calliditas, se suaque commoda magis quàm diuinum honorem adamans & procurans. Neque vel Dauid, vel Salomon quidquam in leges simplicitatis se delinquere existimauit; ille, quando condere statuit; hic quando reipsa Deo condidit magnificentissimũ, muneribusq; auri & argenti opulentissimum templum: imò adeo nil sanctus Rex Dauid in simplicitatem committi arbitratus est; vt palam diceret. *Vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.*

1. paralip. 29.

Non placuit simplex panis fractio, inquit Beza, *quæ tamen pars est huius actionis non minima. Itaque rotundi panes singulis porrigi cœpti, & ritus à Domino institutus, abrogatus.* (En hostias itidem rotundas, teretesq; Caluiniano dente arrodit)

Non placuit vel sedentibus, vel stantibus, vel accedentibus panem in manum porrigi, vt olim fiebat, sed attolli panem, quasi venerandum. Postea, adhibita est genuflexio, & buccel-

lam in os ingerere maluerunt, reuerentiæ nimirum causa. (Iure optimo. quia Christo Saluatori nostro omne genu cælestium & infernorum flecti debet.)

Atqui hoc primum fuisse horrendæ illius artolatriæ initium, quæ ne nunc quidem aboleri potest, quis tandem non videt? (ne tui quidem in Anglia Caluinistæ, quorum gratia hãc Epistolam exarasti, hoc vident; nam genuflexionem retinent, & non ita pridem nouo decreto sanxerunt. Forsan id viderent, si tecum *Puritanos*, hoc est, Geneuenses oculos induerent, quod tamen hactenus illis persuadere nequiuisti.)

At prome nunc Beza, quis sit tuus super his omnibus sensus, quæ, te dolente & gemente, alicubi adhuc cõseruant tui Caluiniani & Lutherani.

Ais. *Quæ cũ ita se habeant, & honorum istorum præposterè nostris sacris habitorum tristissimus euentus satis, superq; doceat, quantò satius fuerit in simplici Christi institutione acquiescere, quàm præpostero zelo quidquam istorum comminisci: mihi quidem omnium optimè facere videntur, qui ista, quamuis non per se impia, tamen vt minimè necessaria, & parum quidem vtilia, etiamsi quis illis rectè vtatur, plurimum autem noxia, vt tristissima Ecclesiarum facies ostendit, non minus sedulò, quàm apertas idolomanias abolent.* Plana & expedita ratio, dummodo obtemperaretur. Simplicitas autem illa, quã Beza vrget, continetur more & consuetudine Geneuensi, vt scilicet cœna in Ecclesia non aliter aut certè vix aliter ineatur, quàm cœna in Triclinio; sine vllo reuerentię & honoris indicio; sine vlla genuflexione: sine vlla peculiari ceremonia & ritu. Huc collineabat tota verbositate & loquacitate sua Beza. Sed nihil aut parum obtinuit; Anglis indignum iudicantibus, qui ex vnius Bezę ore saperent; eiusque dicta & dictata, tanquam oracula cælo

missa,

missa, susciperent & amplecterentur: *nam vt Beza sit quibusdam αὐτόπιστος, non est omnibus*; inquit Caluinianus Sarauia.

Sar. lib. contra Bezam de diuersis gradibus Minist. Euangelij.

CAPVT XVIII.

De reliquis Sacramentis.

RIDICVLVM fortasse videbitur, quod dicam. Dicam tamen, dummodo vndique lux veritatis aduersus sectarios effulgeat. De numero Sacramentorum ingens controuersia est hæreticis cum hæreticis; & nobiscum etiam. Aliqui ex illis, statuũt duo; aliqui, tria; aliqui quatuor; prout fert vertiginis vel potius insani furoris impet⁹. Catholici cõstanter septem Sacramenta asserunt: quẽ numerũ adstruunt, non dicam tantùm licitè iurantes; sed & blasphemãtes; qui apud Germanos *septem Sacramenta* plerunq; nominant. Inauditum est, quenquam vel licitè, vel illicitè iurare per duo Sacramenta Caluiniana; vel per tria, aut quatuor Lutherana. nam, quod interdum septenario numero adiiciunt millenarium, & nescio quas alias exaggerationes, id non obstat: quia hîc, valet illa regula Iuris: *Vtile, per inutile non vitiatur*. Nobis satis est: neminẽ prorsus esse, qui per *duo* aut *tria Sacramenta* iuret, ne apud Lutheranos & Caluinianos quidem; qui, quando blasphemant, *septem Sacramenta* ingeminant, obliti suorum Catechismorum, quibus de duobus, vel tribus duntaxat informantur.

Præterea vnde iuramentum illud; Hæreticis præsertim, nonnullis in locis vsitatum; *per Chrisma?* Certè non nisi à Sacramento *Chrismatis*, seu Confirmationis, nã per materiam huius Sacramenti, tanquam per rem sacram, iurant.

iurant. Vnde Germanis ipsa vox Crisam à Latino, seu Græco chrisma; nisi à Confirmationis Sacramento? Nec heri aut nudius tertius, sed cum ipso Sacramento, cumque Christianæ fidei primordiis in Germaniam inuecta est; vt & vox Firmung & Firmen, à Latinis *Confirmatio*, & *Confirmare*. Huc etiam facit commune illud Germanorũ de homine nauci, ac nihili. Es ist Crisam/vnd Tauff an jm verlohren. *Et Chrisma, & Baptisma in isto perditum est*. Quî perditum, si Chrisma, vt omnibus hæreticis videtur; &, si Baptisma, vt iam nonnulli sentire incipiunt, nullius prorsus momenti?

Iam verò voces illæ, die Beicht/Beichten, *Confessio, confiteri*; planè religiosum quiddam; & illud ipsum, quod nos de Sacramento Pœnitentiæ docemus, insinuant; neque enim profanæ sunt. Et, si quandoque de profana cõfessione dicuntur, id non fit, nisi per analogiam, ad sacrã: alioqui Germani potius dicunt, Bekennen & Bekantnuß. Nec Lutherani penitus abhorrent ab his vocibus, Beicht & Beichten, tametsi confessionem adituris potius ita loqui libet: Jch wil mich zaigen; *Monstrabo me*, nimirum Prædicantibus, vt diiudicent, num sim leprosus.

Luth. Tom. 6. Germ. Ien.

Nihilominus vulgò retinent vocabulum Beichtẽ; & quidem Luthero in Admonitione ad Francofordienses adeò placuit hoc vocabulum Germanicum Beicht; vt etymologiam eius accuratè scrutari; & inde, confessionem retinendam esse, suadere voluerit, & in ea, quædam peccata speciatim patefacienda cẽsuerit. Audi Lutheri verba:

Solches gibt auch das alte Teutsche Wort Beiicht. Daher mann die Heilige Bischofe nennet / *Confessores*, Beiichter/daß ist/Bekẽner. Denn Beiichtẽ/heist bekennen/

nen/wie auch im Gericht daß Wort noch in vbung ist/ Vriicht. vnd mã sagt/daß iicht er/daß hat er Beiicht/ꝛc. vnd seind zwei Vnderschidliche i. in dem Wort Biicht/ welches mit der Zeit ist in ein i. verwandlet/vnd durch Mißbrauch Beicht/alß mit einem i. geschriben/vnd geredt/wie vil andere Teutsche Wörter also verderbt sindt. Darũb soll ein Beiichter/oder Bekẽner/nicht allein Sünde wissen zuerzelen/sondern auch daher auffsagen/waß er vom Glauben/vnd Christo gelernt hab/ vnd waß da wider gethan heisse/ꝛc.

Cum igitur voces istæ apud Germanos sint antiquissimæ, & vsitatissimæ; & hac quidem *Sacramentali*, vt sic loquar, significatione; sequitur, ipsam etiam confessionem Germanis antiquissimã, & iam in ipsis recepti Christianismi primordiis vsitatam fuisse. Neque enim nomen, sine re in Germaniam inuectum cogitare licet.

Si hæretici dicant; *malè fuisse Confeßionem cum Christi religione in nostras terras inuectam*; hoc ipso satis argumẽti nobis suppeditant, cur ipsis multam salutem dicamus, & in perpetuum valere iubeamus.

Idem iudicium esto de extrema vnctione; quæ Germanis vsitatissimè; die letze Oelung: quasi dicas; *extrema oleatio*, si ita loqui fas esset. Vnde, oro, hæc vox Germanis? Quæ eius notio? quæ impositio? quæ origo? quàm vetus? Et, si non vetus, quàm noua? Prædicantes tandem origines harum dictionum edant; si existimant nnper à Germanis excogitatas.

Sacramentũ *Ordinis* nemo aliter nominat Germanicè, quã die Priesterweih vel absolutè, die Weih, quæ vox antiqua Germanorum dialecto *sacrum*, seu, *consecrationẽ*, & *sanctificationem* denotat. *Maiores nostri* Weihen *sacrare dicebant*, inquit Hospinianus Caluinista. *Hinc in precatio-*

Hosp. lib. de festis.

ne Dominica antiquis rhythmis composita; **Weihe sei namo theiner**; *sanctificetur nomen tuum.* Kero Monachus S. Galli in Interpretatione vocabulorum Barbaricorum in Regulam sancti Benedicti. *Reliquiæ.* vuihida. *Sanctum* vuihaz. *Sancto*, vuihemu. *Sancta*, vuihiu. *Sanctæ* vuihono. *Sanctas*. vuiho. *Sanctus*, vuiheem. *Sanctæ Trinitatis*. vuihun drinissu. *Sanctos Patres*, vuihe fatere. Hinc & illa; **Kirchweih**, *consecratio*, seu *dedicatio templi*: **Weirauch**, *tus*, quia diuino cultui consecratum est. Item; **Palmen / Wasser, Saltz weihen**, *consecrare palmas, aquam, salem*: hinc, & nox illa sacratissima, qua Christ⁹ natus, **die Weihnacht**, quasi *nox benedictionis, & consecrationis*, seu *sancta nox*. Nec nouitia hæc vox, aut vocis notio; nec peregrina: sed probæ prorsus, & antiquæ, vnoq; verbo, Germanæ notæ. Quam ne ipsi quidem hæretici inficiari queunt: nisi quod vocis huius radij, vt sic dicam, eorum oculos nimium perstringunt: cùm *Ordinem*, **die Weih**, penitus sustulerint: nec vllos habeant ministros consecratos, **Geweichte**. Sed opus non habent consecratione: quando, vt Lutherus imperitissimè scripsit, *sacerdotes non fiunt, sed nascuntur*: quo nihil inscitius dici poterat, cùm vt rectè Tertullianus dixit, *ne ipsi quidem Christiani nascantur, sed fiant*, nempe per baptismum. Ex quo trita illa Germanorum vox, quando ad baptismum alicuius se conferunt: **Ich wil helffen ein Christen machen.** *Iuuabo, vt fiat Christianus*, quod etiã aduersus hæreticos, præsertim Caluinistas, notandum, tanquam communis notio pro efficacitate, & necessitate baptismi: quanuis Lutherus, vt erat in scribendo lubricus, & perplexus, suum illud nasci postea ad natiuitatem per regenerationem Baptismi referat. Sed quidquid isti de *sacerdote*, vel *Ordine* tricentur, aut tergiuersentur; ipsa communis vox **Weih**, & **Weihen**, eiusque notio a pud om-

Luth. de instituendis Ministris Tom. 2. Lat. Vuiteberg

omnes Germanos recepta: & quidem veteri dialecto: apertè demõstrat, *Ordinem* pro re sacra à Germanis habitum: sacerdotesq; non aliter, quàm per benedictionem, & consecrationem creatos.

Et hæc omnium Christianorum pectoribus de sacerdotibus, & sacerdotio infixa opinio valdè Lutherũ torsit, cùm nouos nobis ministros creare, mundoque obtrudere institueret in libello suo *de instituẽdis ministris Ecclesiæ.* Sic enim contra communem fidelium sensum tonat bestia: *Atque hic primùm constanti* (Lutherana) *fide est opus, vt scandalum istud latè patens, ac lõgè validissimum virtute verbi diuini amoliamur, quo sacerdotes humano lapsu vocari, deinde indomita pertinacia defendi cœperunt, ij, quos Episcopi rasissent, & vnxissent. Hoc enim nominis fuco, fraudulenter ingressus Satan, incredibili furore omnia vastauit: & atrium suum iam septem assumptis sese nequioribus, securus tenet, & habitat in pace; vt aliud prorsus vocabulo sacerdotis nemo intelligat, nisi portentum illud rasuræ, & vnctionis, humana temeritate, vel superstitione introductũ. Nisi enim hic clausis oculis vsum, antiquitatem, multitudinem præterieris, & apertis auribus totus verbo Dei adhæseris, scandalum hoc non superabis.*

Hæc flagitiosus Apostata: qui animaduertens, quàm arduum sit cum Christianismo imbibitam opinionem abiicere, præcipit; vt claudantur oculi, nullaque penitus aut antiquitatis, aut multitudinis testium ratio ducatur: solæq; aures ad Lutheranum verbum patescant. sic nempe itur ad Orcum.

CAPVT XIX.

De ministris Sacramentorum.

SACERDOS Germanis ist ein Priester; à Græco, *presbyter*, vt suprà dictum. Ipsum nomen Catholicam religionem, non Lutheranam, aut Caluinianam sectam designat. Nominet quis Lutheranum Prædicantem ein Priester: effusè ab ipsis Lutheranis ridebitur.

Non me fugit, Prædicantes tacitè ambire, vt appellentur, & salutentur Priester. Hinc ipsi sibimet ipsis aliquando hoc nomen tribuunt, vt videre licet in oratione funebri, qua decollato Saxoniæ Cancellario Crellio parentarũt, & passim in *Agendis* Lutheranis, maximè in Palatina Neoburgica, & alibi; id tamen non fit sine occulto pectoris aculeo, & consciẽtiæ, vt loqui solemus, remorsu & renisu. Manifestè enim animaduertunt, Germanis, ex prima nominis impositione, vocem Priester, longè aliud quid, quàm sit Prædicans, significare. Hinc vix vllus est, qui quærenti domum sacerdotis, monstrare audeat domum Prædicantis: non obstante, quod Lutherus scripsit; *Prorsus omnes Christianos esse sacerdotes.* Multò minus hoc axioma parentis sui secutus, ostendet domum sutoris, aut sartoris, aut lictoris: qui tamen omnes sacerdotes sunt, si nõ mentitur Lutherus. Cuius placitum adeò communi sensui aduersatur, vt, si quis cum huiusmodi *Lutherano sacerdote*, loquatur eo modo, quo Germani cũ sacerdotibus loqui solent; (euer Ehrwird / Ehrwirdiger Herr. *Reuerentia vestra*; Reuerẽde Domine) nullus tam detritæ frontis futurus sit; cuius frontem rubor non tingat; quique huiusmodi honorem, tanquam à statu, & professione sua alienum, non deprecetur, manibusque, &

Tom. 2. Lat. VViteb. lib. de instit. minist.

& pedibus amoliatur. Neque enim in omnium pectoribus exstinguit hæresis omnem ingenuitatem. Quædam absurdius à Luthero asserta sunt; quàm vt vel stupidissimo cordi, nedum Germanico, persuaderi possint.

Ab eâdem voce habent Germani; daß Priesterthū, *sacerdotium*. Quam æquè horrent hæretici, ac illam alterā. Malunt, *ministerium*, Germanicè Predigambt. Interdū etiam *presbyterium* audias, sed Latinè: nam licet audacissimi sint, non audent tamen cœtum, seu statum, & conditionem Prædicantium appellare, ein Priesterthum, cùm tamen Germanià Latino *Presbyterium*, suam vocē formauerint. Multò minus *clerum* sese nominant; & Germanicè, die Clerisei. Quis Germanorum, licet inter Prędicantes natus, & educatus, audito hoc nomine, concipit animo, ac cogitatione *Prædicantes?* quos, si *Clericos* voces, aliis excitabis largissimum risum; Prædicantibus bilē, & indignationem. Statim enim quæretur; si Clericus, vbi tonsura? (quam vocem Ecclesiasticam mutauit Lutherus cum suis in *rasuram*) Exigentur & alia Clerici insignia, & digmata: quæ, ipsi reputant ludibria; iam olim à se repudiata. Etsi nunc quædam resumere incipiūt, præsertim habitum. Cùm enim olim odio sacerdotij nostri à sacerdotum habitu tam longè recessissent; vt similiores viderentur lictoribus, quàm concionatoribus: nunc paulatim ab extremo illo regrediuntur ad nostra: vestesque longas, & fermè ad talos vsque demissas induunt, non sine latis, & largis manicis, non absimiles illis, quibus sacerdotes in Germania olim vtebantur; & hodie etiam multis in locis vtuntur.

Vide Synod. Londinens. Anno Christi 1603. celebratam.

Non ignoro Caluinistas Anglos *cleri*, & *clericorum* appellationem retinere: sed tam à Puritanis Britannis, popularibus suis, quàm ab exteris Caluinistis, & Lutheristis

ristis suauiter ridentur, tanquam Papistarum simij, necdũ perfectè Caluiniano lumine collustrati. Retinent iidem pileos sacerdotales, cappas seu epomidas, superpellicia, vestes promissas & talares; Caluinistis Geneuensibus, Germanis & Belgis admodum indignantibus. Sed adeo communi sensui infixum est, oportere ministros Ecclesiæ, peculiari, qui à vulgato notabiliter distinguatur, habitu ab aliis secerni, vt hanc existimationem ne pestilentissima quidem & omnibus miscendis nata Caluini hæresis in omnium Nouatorum animis penitus obliterare potuerit. De quo Anglorum more consultus Beza nihil non tentauit; vt quidquid vestimentorum Papatum redolere videbatur, iis adimeret; omnibusque amictum Geneuensem indueret. *Petitur à nobis*, inquit, *vtrum istam in pileis, & vestibus tum in communi vsu, tum in ministerij functione distinctionem probemus, apertè, & ingenuè respõdeamus. Respondemus igitur ingenuè, si ita res habent, vt audimus, nobis videri pessimè mereri de Ecclesia Dei, & coram Christi tribunali rationem huius facti reddituros, qui sunt istius rei autores. Etsi enim ciuilem, & politicum illum ordinem minimè putamus improbandum, quo, non tantum ciuium, sed etiam functionum ordines distinguuntur, tamen, non quamuis distinctionem putamus probandam. Quid si enim iubeantur Ministri perinde vt moriones, ac histriones vestiri? an non manifestum esset ludibrium Ecclesiastici muneris? Atqui peius etiam aliquid hîc admitti, nobis quidem videtur. quoniam non tantum istum sacerdotalem habitum ipsis etiam Papistis plerisque ridiculum reddidit Dominus, sed etiam constat infinitis superstitionibus esse pollutum, ac contaminatum*, &c. Tuo videlicet iudicio, qui mauis tui Euangelij præcones vestiri, instar lictorum, quàm Pontificiorum sacerdotum. Nam quòd nostrum habitum ipsis etiam Papistis ridiculum

Bez. Epist. 12. Volum 3. ep. Theolog.

red-

redditum ſcribis : id Bezana veritas eſt; pſeudologiæ & lœdoriæ ſoror, niſi fortè per *Papiſtas* intelligas illos, qui nomen foris gerunt, intus, in mente Caluinum *Puritanum.*

Obiicit ſibi Beza. *ſunt iſta vetuſta.* Reſpondet; *ſunt ſanè, ſed multo vetuſtior eſt ſimplicitas Apoſtolica, ſub qua floruit Eccleſia.* Quid Caluiniſmo, non modo duplici; ſed & cẽtuplici cum ſimplicitate Apoſtolica? An tu arbitraris ſimplicitatem Apoſtolicam in hoc poſitam, vt miniſtri veſtitu potius lictores, quàm Doctores referant, prout olim omnes ſectarij referebant; nunc multis in locis Caluiniani & Zuuingliani referunt, Lutheranis, vt ſuprà dicebam, ad veterẽ propemodum ſacerdotum Germanicorum habitum & ſchema regreſſis, ſaltem aliquibus in vrbibus, vbi lictoriæ & curtæ decurtatæque ſuę ſupellectilis eos pudere cœpit.

Addit Beza: *Quod ſi etiam amplius libeat in res iſtas inquirere, difficile non fuerit oſtendere, quæ poſtea diſtinctioni ſeruierunt, primum plebeia, ac vulgaria fuiſſe. Mutatis autẽ rebus tam longo temporum interuallo, quorſum iſta peregrinitas, niſi ex inutili κακοζηλία?* Summa huc redit. Longè minore ſumptu parari veſtes Caluinianas Prædicanticas, quàm ſacerdotales. Ad quid ergo hæc perditio? Poterat pannus, qui in illa veſtimenta inſumitur, venumdari, & dari pauperibus. Quanto hoc ſatius eſſet, & ad ſimplicitatem Apoſtolicam propius accederet?

Sunt tamen, dicet aliquis, res mediæ. Concedimus ſanè ita eſſe, ſi per ſe conſiderentur, ſed, quis illas ita conſiderabit? Nam qui Papiſtæ ſunt, quidquid lex ciuilis prætexat, ſanè hac ratione in ſua ſuperſtitione inueterata confirmantur. Qui cœperunt ſuperſtitiones eò vſque deteſtari, vt etiam illarum veſtigia cœperint execrari, quantopere offenduntur? Qui melius ſunt inſtituti,

tuti, quem fructum inde percipient? Anne verò tanti eſt iſta diſtinctio, vt propterea tam multorum conſcientias perturbari oporteat, repetita videlicet ab ipſis manifeſtis, & iuratis ſanæ doctrinæ hoſtibus, iſtius diſtinctionis ratione? Quid, quod ex iis, qui Eccleſiaſtici vocantur, non minima pars dicitur ad huc papiſmum in pectore geſtare? an iſti verò in melius proficient, reſtituto hoc habitu, ac non potius quaſi mox inſtaurandi quoque ipſius Papiſmi ſpe criſtas erigent? En quanto odio contra communẽ omnibuſq; inſitum ſenſum proſequitur Caluinianus alaſtor veſtitum *Clericalem* & ſacerdotalẽ. Et tamen tantum efficere non potuit, vt ex ipſa etiam Caluini ſynagoga penitus eliminaretur.

Miſſo Beza ad Lutherum reuiſamus; quì ne parum liberalis eſſet, ipſas etiam fœminas *ſacerdotes* proprii nominis ordinàuit, ex verbis illis S. Petri, 1. Pet. 2. *Vos eſtis regale ſacerdotium, vt virtutes annuntietis eius; qui vos vocauit de tenebris, in admirabile lumen ſuum. An ſolæ raſæ, & vnctæ laruæ?* inquit Lutherus. *Nonne omnes Chriſtiani?* Num etiam mulieres? quid ni? At fortè impropriè dicũtur *ſacerdotes*? Nequaquam: Sed propriè: quia vnicum dũtaxat eſt propriè dictum & externum ſacerdotium, omnibus ſimpliciter Chriſtianis, etiam fœminis commune: quod eſt, *annuntiare Virtutes Dei*, hoc eſt, miniſterio verbi fungi. Vt ergò *miniſterium Verbi ſummum in Eccleſia officium, prorſus vnicum, & omnibus commune eſt, qui Chriſtiani ſunt, non modò iure, ſed & præcepto; ſic & ſacerdotium non niſi vnicum, & commune erit*; omnibus Chriſtianis, etiã mulieribus, *Vt nihil valeant aduerſus hæc diuina* (Lutherana) *fulmina infiniti Patres, innumera Concilia, æterna conſuetudo, & vniuerſa mundi multitudo, quibus ſtipulis raſæ laruæ nituntur ſuum ſacerdotium ſtabilire.* Omnia Luthero cedant oportet; omnia faſces ſubmittant. Omnes Chriſtiani, qui

qui hactenus mulieres non habuerunt pro ſacerdotibus propriè dictis, ſententiam mutent; & nouas iſtas in Lutheri officina initiatas *ſacerdotes* reuerenter ſalutent: quæ æquè, ac viri non modò ius, ſed & præceptum prædicandi habent. O ſomnia. ô deliramenta.

Quibus non abſimile, quod ſequitur: *Mulieres baptizare poſſunt in neceßitate; ſunt ergo verè, & propriè ſacerdotes*: quia, nemo baptizare poteſt, niſi ſacerdos propriè dictus. Reclamat communis ſenſus, ac notio, ipſis etiam feminis impreſſa: quæ hanc dignitatem ſibi non arrogãt. At reclament, quantum libet: audiendus eſt velitis, nolitis, hic Lutheri clamor: *Mulieres, dum baptizant, legitimo funguntur ſacerdotio, idq́; non priuato opere, ſed publico, & Eccleſiaſtico miniſterio, quod ad ſolum ſacerdotem pertinet.*

Dolendum tamen ſummoperè, à Caluiniſtis adimi mulieribus, quod valdè liberaliter cõceſſerat Lutherus. Caluiniani enim Embdenſes ſimpliciter repellunt mulieres à baptizando, etiam tempore neceſſitatis, ſatiusq́; arbitrantur (tametſi Caluiniſticè; hoc eſt, inſipientiſſimè, & ſtolidiſſimè) infantem abſque baptiſmo vitam finire, quàm à femina tingi, quia, vt aiunt, *adminiſtratio Sacramentorum ad publicum docendi, & concionandi, munus pertinet, quod à S. Paulo neque priuatis perſonis, neque mulieribus conceditur, 1. Cor. 14.*

Nec Beza vllo modo mulieres ad baptizandi miniſterium admittit, etiam in neceſſitatis articulo. Sic enim in Epiſtola ad Pſeudoepiſcopum Londinenſem ſcribit: *Si verum eſt, quod paßim fertur, & ego mihi nondum perſuaſi, mulieribus iſtic Baptiſmum priuatum permitti, non video quid ſit è meta ad carceres regredi, ſi hoc non eſt. Primum enim vnde hic fœdißimus error natus eſt, niſi ex craſſa rei Sacramentariæ igorantia?*

Beza Epiſt. 8.

Epist.12.

In alia Epistola *ad quosdam Anglicarum Ecclesiarum fratres, super nonullis in Ecclesiastica politia controuersiis. Petitur an Baptismum ab obstetricibus administratum probemus. Respondemus, non nobis improbari vt superiora, sed etiam prorsus intolerabilem videri, vtpote ex ignorantia veri vsus Baptismi, & Ministerij publici exortum. Eiusmodi ergo abusum sentimus teneri Ministros grauiter reprehendere, nedum vt ratum eiusmodi pseudobaptismum habeant.*

Idem Beza in quæstionibus & responsionibus de Sacramētis. *De Baptismo à priuatis, vel ministerio verbi nō fungentibus personis ministrato quid censes? Respondeo, nō pluris faciendū, quàm id, quod Regis, vel Reipublicæ nomine priuatus quispiam pro libito gereret: aut, quàm sigillum ad publici imitationem à priuato quopiam effictum, & cuipiam instrumento appensum; aut quam fabula. Multo minus ergò Baptismum per ludum, vel ab obstetricibus administratum probaris. Respondeo, Apage verò crassam, & putidam hanc sacri ministerij profanationem.*

At Lutherus mulieribus non tantùm baptizandi copiam facit; sed & easdem, id munus publico, & Ecclesiastico ministerio, ad solum sacerdotem spectante, obire intrepidè affirmat: tempore necessitatis præsertim, quando alij desunt, aut si adsint, idonei non sunt. Mirum non foret, si mulieres in Caluinistas insurgerent, manuque iniecta, honorem sibi à Luthero concessum, à Caluinistis autem detractum asfererent, ac repeterent: quas intolerabiliore adhuc iniuria afficiunt Caluinistæ, cùm dicunt: *Mulieribus non dari potestatem administrandæ Cœnæ.* Ex quo colligunt; *neque baptizandi potestatem illis concedi debere.* At Lutherus elata voce reclamat: Et, vt paulò pòst ex verbis eius planum fiet, Cœnæ conficiendæ, parandæ, & administrandæ vniuersis feminis plenissimam, &

& largiſſimam poteſtatem facit; maximè quando alij Cœnæ huius coctores non ſuppetunt. Vel ob hanc tantam dignitatem, qua femineus ſexus à Luthero exornatus eſt, debebant mulieres Embdenſes potius Lutherũ, quàm Caluinum in amoribus, & deliciis habere, atque in oculis circumferre: cùm Lutheri beneficio non tantùm ad prædictum dignitatis culmen euectæ fuerint, ſed & ad publicum docendi, & concionandi munus exaltatæ, caſu, quo nullus adeſt, qui hoc munere aptè fungi poſſit. A quo excellentiæ faſtigio rurſus per Embdenſes deturbantur, cùm apertè ſcribunt: *officium publicè docendi mulieribus non competere.* Quod ita aſſerunt, vt ne caſum quidem neceſſitatis excipiant. In quo tamẽ Lutherus ad publicum pulpitum, & ſuggeſtum mulieres libentiſſimè, & liberaliſſimè admittit.

At cum præter hæc, *officium ſacerdotale ſit, conſecrare panem & vinum*; num & hoc omnibus Chriſtianis cõpetit; etiam mulieribus? *Quis dubitat?* inquit Lutherus. *Nec habent quod hîc Papiſtæ opponant, niſi Patres, Concilia, conſuetudinem, & fortiſsimum articulum, qui eſt, nos multi ſumus, & ſic ſentimus, ergò eſt verum.* Omnia iſta Luthero ſeſe ſubdant oportet; quia, comparatione eius, nihil sũt, niſi ſtipulæ, & quiſquiliæ. Nec fortaſſis immeritò cenſebitur Lutherus feminas ad Lutheranæ Cœnæ coctionẽ, paraturam, adminiſtrationem, & diſtributionem admiſiſſe, quia mulieres plerunque ſapidiores, & conditiores Cœnas coquunt, quàm viri.

Quæſo te, num nouæ iſtæ ſacerdotes, & inuſitatæ Prieſterin habent etiam quartum ſacerdotale officium, quod eſt *ligare, & ſoluere?* Vtique: *nam nos omnes, qui Chriſtiani ſumus, habemus commune hoc officium clauium, quia Chriſtus dat ius, & vſum clauium cuilibet Chriſtiano, dum di-*

Luth. ibid.

Matth. 18.

cit; sit tibi sicut Ethnicus. Quis enim est ille, sit tibi, quem alloquitur Christus hoc Pronomine, tibi? *An Papam? imò quemlibet seorsim Christianum. At dicendo*, sit tibi, *non modò ius dat, sed vsum & exequutionem mandat. Quid enim est dicere*; sit tibi sicut Ethnicus? *nisi tantùm; noli ei conuersari, communionem illi neges. At hoc est verè excommunicare, & ligare, ac claudere cœlum: Cessent ergò hominum mendacia.* Conclusum est. *Nihil moremur laruarum laruas. Claues sunt totius Ecclesiæ, & cuiuslibet membri eius tam iure, quàm vsu, & omnibus modis.*

Inter articulos, qui Matthiæ Deuay Vngaro Luthera-no Viennæ Austriæ à Ioanne Fabro Episcopo Viennensi, propositi sunt, & exstant apud Rabum; parte quinta Lutherani Martyrologij, vicesimus ita habet; **Er sagt/ man könde auch den Weibern beichten.** *Affirmat, posse confeßionem fieri mulieribus.*

Subditur hæc responsio hæretici. **Dieweil die Weiber predigen könden / vnd jnen solches bißweilen zugelassen wirdt / warumb wolten sie dann auch / oder köndten nicht etwan die Leuth in sonders trösten / vnd inẽ rhaten?** *Cum mulieres habeant ius concionandi, idq; interdũ illis concedatur, cur non possent etiam aliquando alios solari, & bonis consiliis instruere?* Quasi ad confessarij munus nihil aliud requiratur; quàm vt alios solentur, & salutaribus consiliis iuuent. Est ne hoc soluere & ligare?

Septimus articulus est iste; **Er sagt / die Weiber mögen wol auch lehren / vnd predigen / vnd die heiligen Sacrament Außspenden,** *Asserit, mulieres etiam docere & concionari & Sacramenta administrare & dispensare posse.*

Responsio hæretici: **Daß die Weiber für sich selber in jhrem Stand auch könden / vnd mögen lehren/**

sagt

ſagt Paulus zu Tito cap. 2. die alten Weiber ſollen die Jungen lehren züchtig ſeyn/vnd auch die iungē Männer vermanen/daß ſie züchtig ſeyen. *Mulieres ſuo inſtatu etiam poſſe docere docet Paulus ad Titum cap. 2. iubet enim, vt anus prudentiam doceāt adoleſcentulas, & iuniores viros modeſtiam & temperantiam.* An non eſt hoc pulchra probatio? Articulus loquitur de publico docendi munere: reſponſio, de priuata inſtructione, quæ cuiuis competit, qui aliquid melius ſcit, quàm alter? Vt taceā, hæreticum iſtum nictantibus oculis legiſſe Apoſtolum, non enim mandat, vt vetulæ iuniores viros ſobrietatem doceant; ſed Tito hoc committit. *Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrij ſint.*

Subdit hæreticus. Iſt jhnen aber erlaubt zu predigen/warumb wolten ſie nicht auch Macht haben zur zeit der Not die Sacramenta außzuſpenden/ ſo doch die Weiber etwa auch die Kinder tauffen? *Si habent poteſtatem concionandi, cur non haberent quoq; neceßitatis tempore poteſtatem adminiſtrandi & diſpenſandi Sacramenta, cū mulieres poßint interdum baptizare?* Quæ omnia ex Lutheri lacunis hauſta ſunt. An non ſunt in Lutheri ſchola alia ſacerdotalia munia? ſunt. *Sacrificare ſeipſum Deo hoſtiā viuentem, & orare pro alijs.* Quis verò orthodoxorū has duas functiones ſacerdotij propriè dicti vnquam affirmauit eſſe proprias? Cui in ipſis intimis medullis cōtrarius ſenſus ōn inhæret? Quē inſanis ſuis vociferationibus, & delirationibus Lutherus nunquam inde euellet, aut exſtirpabit. Vbi Laici, & Laicæ, ſi omnes ſimpliciter ſacerdotes? & tamen, quis in Chriſtiana Republica tam bardus eſt, qui neſciat; aliud eſſe *Laicum*; & aliud, *ſacerdotem*? ſed Lutherus ipſi etiam communi ſenſui, & Germanorum linguæ ſeſe opponere non erubeſcit; quorum veteri vſu

vox leigen absque additione, pro quibusuis feminini sexus accipitur: Grau Chunrad von Kilchberg ad Virgines;

Notauit hæc. Goldastus in notis ad paræ-nes. Regis Tirolis fol. 356. & 357.

Froit vch stoltzen Leigen.

Herr Gottfrid von Nifen;

Jr vil wunecklichen Wib/
Jr wol gemueten Leigen. Idem:
Megde Leigen wir sun reigen. etc.

Herr Werner von Tuffen:

Sit vndertenig mine werde Leigen/
Si kan wol froide in stendu Hertzen heyen.

Aliquando nomen sexus adiungitur: Rex Tyrolis in sua Parænesi.

Jr Leigen vrouuen zwa ir stat/
Vnd öch zu Gotte gelobet hat.

Septimum, & vltimum officium sacerdotum est; *iudicare, & decernere de dogmatibus*. Num & hoc cum mulieribus communicat Lutherus? Cur, obsecro, hîc præter solitum tenax, & restrictus erga mulieres esset? quibus cum sacerdotium propriè dictum largiter concesserit; cur non concederet eas, quas ipse percenset, sacerdotales functiones? Prosilient ergò omnes, etiam mulieres, & concionabuntur: baptizabunt; soluent, ligabunt; deque doctrina promiscuè iudicabunt, cuiuscunq; tandem sortis, & conditionis fuerint. Hoc profectò sequitur ex doctrina Lutheri; cum omnibus non modò ius, sed & præceptum prædicandi datum disertè scribat.

Adhibet tamen emplastrum: *nulli licere in medium prodire autoritate propria; sed iis duntaxat, qui à communitate eligantur*. At si ego, inquiet sutor, aut sartor Lutheranus, aut mulier Lutherissa, propriè dictus sum sacerdos; si ius, imò præceptum à Deo accepi, vt *annuntiem Virtutes*

Dei,

Dei,& concioner, si vsum,& exequutionem clauium cõcessam habeo, vt ipse Lutherus scribit; quis tu es, qui me à sacerdotij muneribus arceas? An non Dei præceptum maius, & validius est; quàm vlla interdictio hominum?

Ne tamen absque electione nihil *Lutherani isti sacerdotes* habeant; concedit Lutherus; vt in necessitate suo munere sacerdotali fungantur. Si ergò desit Prædicans, poterit in necessitate cõcionari *Prædicãtissa*; seu alia quæcunque Lutherana saga; poterit & Cœnam administrare. Idẽ poterit sutor, sartor, lictor, carnifex;& quiuis alius, licet omnium bipedum posttemus. *Quia non est vlla alia memoria Cœnæ Dominicæ*, inquit Lutherus; *quàm vbi quilibet Christianus facere potest, quod Christus facere instituit*. Poterit insuper quæuis mulier, maximè Prædicantis vxor, confessiones audire, si viri nolint, aut non possint: quia vt Lutherus dicit; *non est aliud peccatum, quàm quod Christianus quilibet ligare, & soluere debet*. O vberem,& copiosam quinti Euangelij gratiam. *O verè præclaram dignitatem, ad quam sumus euecti*, exclamat quidam Basileensis Caluinista: *O insignem honorem, quo sumus decorati*. Gaudete,& exultate, ô mulieres, ad tantum præcellentiæ fastigium manibus Lutheri subuectæ.

Polan. præfat. in Thes. de sacris generibus.

Verùm hæc occasione nominis *sacerdotis*,& *sacerdotij* attulisse, hoc loco sufficere arbitror: quod nomen Luthero admodum inuisum fuit. Hinc vociferatur in libro de instituendis Ecclesiæ ministris; *eos, qui Sacramentis,& verbo inter populos præsunt, nec posse, nec debere sacerdotes vocari, & hoc nomen vel ex Gentilium ritu; vel ex Iudaicæ gentis reliquiis sumptum, & maximo Ecclesiæ incõmodo probatum fuisse*, impudenter mentitur.

Quis fidelium hactenus exstitit, cui non fuerit persua-

ſuaſum, & intimis quaſi ſenſibus inſculptum, eum, qui ſemel legitimè ſacerdos conſecratus ſit, perpetim ſacerdotem manere; neq; vnquam dignitatem ſemel ſuſceptam perdere; niſi fortè quoad vſum. Quid Lutherus? ſacerdotes ponit, deponit, reponit, ſimiliter ac prætores, conſules, lictores. Hinc illa portenta. *Deponi Miniſter poteſt, ſi fidelis eſſe deſinat. Rurſum ferri in miniſterio, donec vel meruerit, vel vniuerſitati Eccleſiæ placuerit: ſicut quiuis alius ciuilium rerum inter fratres æquales adminiſtrator. Imò hic miniſter Spiritualis multò eſt mobilior, quàm vllus ciuilis,* &c. Itaque etiam apud Lutheranos, *alius eſt hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus; nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt,* inquit Tertullianus.

Tertull. de præſcription.

Ingentes omninò, gratiſſimaſque grates, & gratias debent Luthero vel ex infima imæ plebis ſorte homunciones, *ſubulci, bubulci, caprarij, opiliones, muliones, agaſones, lictores, canicidæ, carnifices,* aliique eiuſdem claſsis, & tribus; vt & aniculæ, tam annis incuruæ, deliræ, rugiſque toto vultu exaratæ, quàm ſagaces adhuc, & ſagæ. Immortales, inquam, omnes iſti Luthero gratias debent. quia per eius Euangelium obtinuerunt; quod per Euangelium Chriſti nunquam impetraſſent: exæquationem videlicet, & paritatem cum omnibus illis, qui ante hac ſacerdotis & nomen, & officium, & dignitatem, & prærogatiuas ſibi vendicabant, nemine contradicente, nemine refragante. Nunc quiuis ſutor, ſartor, cerdo, lanio, coriarius, textor, nunc quæuis meretricula, quæuis læna, & venefica ſacerdotibus in faciē reſiſtere, & hanc cantilenam cum Luthero occinere poteſt.

Luth lib. de abrog. Miſſa priuata Tom. 2. lat. Vuiteb.

Agite vos egregij ſacerdotes, producite nobis vnum iota, aut apicem, ex vniuerſis Euangeliis, & Epiſtolis Apoſtolorum,

vos

vos esse, aut dici debere sacerdotes præ cæteris; aut, ordinem vestrum esse sacerdotium diuersum, à communi Christianorum sacerdotio. Quin producitis? Auditisne surdæ imagines? Ite ad Parisienses, quæso, qui pro scripturæ testimoniis ponent suum magistrale sentimentum: Hæc propositio est hæretica, & Ordini sacerdotali contumeliosa. Tum; hoc sentimentũ esto vobis principium Fidei. Vnde ergò habemus vos idolorum sacerdotes? Cur nomen commune aufertis nobis, & vobis arrogatis? Nonne sacrilegi estis, & blasphemi in vniuersam Dei Ecclesiam? qui, nomine sancto, & communi violenter aliis ablato, abutimini non nisi ad Tyrannidem, & pompam auaritiæ, & libidinis vestræ? Iterũ dico, idola mundi, vnde nos habemus sacerdotes? Proferte testimonium pro vobis. Vos onera intolerabilia orbis terrarum. sacerdotes non estis, & sacerdotes vos ipsos appellatis. Videtis quid mereamini insignes vos raptores, & hypocritæ?

Idem, lib. de libertate Christiana.

Vocabulis istis Sacerdos, Clericus, spiritualis, Ecclesiasticus, iniuria facta est; dum à reliquis Christianis omnibus translata sunt ad paucos istos, qui nunc vsu noxio Ecclesiastici dicuntur. Sed, *certus esto, & sese agnoscat, quicunque se Christianum esse cognouerit; omnes æqualiter esse sacerdotes; hoc est, eandem in verbo, & sacramento quocunq; habere potestatem.* O immensam Lutherani Euangelij gratiam. O diuitiarum inexhaustam vbertatem. O feracissimum Euangelico Lutheranæ copiæ cornu. Iam Prædicantes etiam mulieribus confiteri, & omnia sua arcana credere possunt. Iam Lutheranis mulieribus plena est soluendi atque ligandi potestas absque vlla vllorum casuum reseruatione. Satis superque videbatur, si feminæ absoluerent Lutheranas feminas. Nunc copia gratiæ extendit se etiam ad absolutionem virorum.

Idem de capt. Babylonica.

Alterum sacerdotum nomen apud Germanos perquam vsitatum, est illud Pfaff, deductum à Latino *Papa*:

tenuibus, more Germanis consueto, in aspiratas cõuersis; & nihil aliud, quàm *Patrem* significat: tributum apud antiquissimos Germaniæ Christianos sacerdotibus honoris, & reuerentiæ gratia. neq; Prædicantem Lutheranum, nec Ministrum Caluinianũ sonat; quippe Catholici sacerdotij indicium. Licet hæretici putent insigni probro sese afficere nostros sacerdotes; quando illos, vt semper solent; **Pfaffen/oder Meßpfaffen**, & sacerdotium, **ein Pfafferey** nominant.

Verùm, quamuis ipsi hæc cognomenta animo iniuriam & ignominiam inferendi proferant; eo ipso manifestè ostendunt, quàm sacerdotes Catholici in Germania sint antiqui; & quàm nouelli, Prædicantes nostri. Etsi enim quis omnes Germanicæ linguæ angulos excutiat, & sedulò perlustret; nusquam inueniet hanc appellationem, **Diener am Wort**, tributam *Clero*, seu *sacerdotio*: Sed **Pfaff** & **Priester** vbiq; occurret. Nec vllum auctorem, vel morem proferent; qui diuino cultui per Ordinis Sacramentum destinatos aliter à Germanis appellatos conuincat. quos Germani ad distinctionem *Laicorum* vocant etiã **die Geistlichen**; & statum, **den Geistlichẽ Stand**: *Ecclesiasticos*, *statum Ecclesiasticum*: ad verbum; *Spirituales*.

Eat quis ad vrbem hæreticam, quæratque; **Wo die Geistlichen wohnẽ**: cachinnis, & sibilis ab ipso Lutherano, vel Caluiniano vulgo excipietur. Norunt enim Prædicantibus suis non competere vsitatam illam, & veterem appellationem; cùm nihil sint aliud, quàm Laici; & Laico magistratui æquè subiiciantur, ac alij ciues. Imò, si quis Prædicans pro concione ita loqueretur; sicut solẽt, & possunt Catholici concionatores: **wir Geistlichen**: toti, opinor, consessui, risum excuteret. Tametsi quidam fron-

frontibus adeò obduruerunt; vt risum auditorum in postremis ducant, seque die Geistlichen nominent, vt videre licet in concione Crelliana; quia Prædicans est superciliosum, & fastuosum animal, nec adeò delicatum, vt risus excipiendi planè sit vel impatiens, vel impotens, vbi agitur de occupandis titulis, quanquam indebitis, honoris tamen, & dignitatis indicibus, & testimoniis: licet fortasſis vbicũq; Prædicantes appellantur die Geistlichen; vitio vel librariorum vel loquentium, vna litera redundet, ita vt extrito T. legendum, dicendumque sit, die Geißlichen / von der Geiß / nit die Geistlichen von dem Geist; quod etiam caprinæ Prædicantium barbæ satis indicant.

Ab eôdem *Papæ* vocabulo sumpserunt Germani vocem Bapst: qua, summum Pontificem designant: qui per antonomasiam *Papa* dicitur. Inde Germani hæretici nos, quasi opprobrij loco, appellitant, Bäpstisch / Bäpstlich / Bäpstler / Bapisten: fidem Catholicam, den Bäpstlichen Glauben. Benè habet, fingant, refingant, quidquid volent, nominum à nomine *Papæ*: nos à *Papa* nominari non censemus ridiculum; sed gloriosum; propter antiquitatem *Papæ*; quorum seriem nusquam interruptam teximus à Paulo Quinto hodierno Pontifice, vsque ad S. Petrum *Papam* primum. Aut, si primi illi Pontifices Romani non fuerunt *Papæ*; demonstrent, oro, sed cõstanter, quis fuerit primus *Papa*, der erste Bapst; à quo nos Bapisten denominant. Iam certè S. Augustini æuo; imo, longè antea, audiebat Pontifex Romanus, *Papa*.

Quàm promptum nobis est demonstrare, à quo nam sumptæ, & quando natæ sint illæ Germanorum voces, & phrases, Lutherisch / Caluinisch / Zwinglisch: der Lutherisch /

riſch/Caluiniſch/Zwingliſch Glaub. Nonne à Luthero, Caluino, & Zuuinglio? Nonne noſtro tempore? Nonne, vt ab auctoribus ſectæ veſtræ, nominibus his appellatur perfidia veſtra? Nam auctor eſt; qui quod nuſquam erat, introducit: ſic & iſti introduxerunt fidem, quæ nuſquam erat in toto terrarum orbe; antequam iſti exiſterent. At nos non cognominamur Bäpſtler, *Papales*, ſeu *Papiſtæ*, à *Papa*, vt à fidei noſtræ auctore; ſed, vt à ſummo fidei noſtræ interprete, cuſtode, atque ſupremo totius Gregis Chriſtiani Paſtore. Itaque velint, nolint, hæretici criminatores nos honorant; ſiue nos Germanicè Bäpſtiſch; ſiue Latinè, *Papiſtas*, ſeu *Papēſes*, ſeu *Papicolas*, appellitent. Appellatio hæc gloriam, & honorem, & communionem cum cathedra Petri ſonat: non probrum, nō dedecus, non diſſociationem à ſede Petri; cum quo qui nō colligit, diſpergit. Extra cuius domum, qui Agnum manducat, profanus eſt: licet eò ſtoliditatis proceſſerit Lutherus, vt alicubi ſcripſerit; *Pontificios non poſſe maiori probro, & dedecore affici, quàm ſi vocentur Papiſtæ, ſeu Papenſes. Itaque omiſſis aliis appellationibus, hoc eis nomen tribui debere.* Sed non vidit furioſus Apoſtata, vocabulū hoc eſſe gloriæ, laudis, & honoris, omneſque, qui mente adhuc conſtāt, ita comparatos eſſe; vt glorificent Deum in iſto nomine. ſiue enim *Papiſtæ* nomenclatura petatur à *Papa* Romano; non eſt quod quenquam nominis huius aut pigeat, aut pudeat: ſiue à *Papis*, hoc eſt, ſacerdotibus, & Epiſcopis deriuetur; cauſæ nihil ſuppetit, cur reſpuatur & repudietur: ſignificat enim dependentiam à ſacerdotibus, & per conſequens, nos in vera Eccleſia viuere innuit. Nam, vt rectè dicit D. Hieronymus; *Vera Eccleſia non eſt, quæ non habet ſacerdotes.* Quanquam enim non ſequitur: Hic, vel ille cœtus habet ſacerdotes; ergò eſt vera Eccleſia.

S. Hieron. Contra Luciferianos.

clesia. Certum tamen est; sacerdotes, veræ Ecclesiæ conditionem esse; &, si adsint cetera, ex hac parte nihil obstare; quo minus pro vera Ecclesia agnoscatur. Obserua autem, *Papæ* nomen adeò tritum fuisse, vt non modò in Germanicam, aliasque, sed & in Aethiopicam linguam migrarit. Nam Aethiopes nominant sacerdotes *Papasath*; & Patriarcham Alexandrinum, *Licka papasath*, teste Burdone.

Burdo lib. 7. de Emend. Temp.

Præcipuos sacerdotum, & Antistites vocant Germani **Bischoff**, à Græco *Episcopus*, per aphæresin primæ literæ: & apocopen vltimæ; perque consuetam mutationem tenuis in aspiratam. Delirat enim Lutheri acumen, quan do in Colloquiis symposiacis Germanicis vocabuli huius originē petit ex Germania; quasi: **Bischoff** sit **Beisschaff / der bey den Schaffen sein soll / stets auff sie sehen / fleisig mercken / vnd achtung haben.** Quanquam cùm hoc nomen hæreticis tribuitur, non incōmodè cunabula eius ex Germanica stirpe deducuntur. Nam hæreticus dicitur **Bischoff**, quasi **Beisschaff**, *mordens oues*, quia, sub hoc sancto nomine lupum oues deuorantem celat, & velat. Nec silendum; non modò ad Germanos, sed & ad plerasq; alias nationes vocem Græcam, *Episcopus*, nonnihil inflexam transisse; imò, & ad Aethiopas, teste Burdone, quibus Episcopi sunt *Episcopasath*.

Colloq. Sympos. Tit. de Episc.

Quid hæc vox **Bischoff** significet, etiam pueri norunt. Et, quod hinc consequens est; norunt non significare *Prædicantem*. Conabatur Lutherus sub exordium sui Euangelij vnicuique propemodum Prædicanti nomen *Episcopi* tribuere, vt patet cùm aliunde, tum ex epistolis illius Latinis, vbi multos nouos, & hactenus inauditos *Episcopos* creat, & salutat; vt & *Euangelistas*; cùm vs-

que ad Lutherum quatuor tantummodò Euangelistæ numerarentur: sed postea absurditatem rei aduertentes hæretici, ferè destiterunt ab hac insania: & relicto *Episcopi* vocabulo, *Superintendentis* nomenclaturam arripuerunt: sic tamen, vt nominis huius honorem non tribuerent singulis Prædicantibus; sed tanùm cæterorum gubernatoribus & inspectoribus. Retinent quidem *Archiepiscopi*, & *Episcopi* nomina nonnullis in locis Germaniæ: qui Catholicorum Episcoporum Cathedras, & Principatus occuparunt: sed isti, non patiuntur se *Prædicantium* nomine affici; sicut nostri Episcopi ferunt, & quidem æquissimo animo, vt nominentur nominibus cum reliquo Clericorum ordine communibus.

Deinde, nemo non agnoscit; (forsan ipsimet quoque) quàm malè in illos quadret vox *Episcopi*. Reuoluãtur Annales omnium Episcopatuum, quos Lutherani in Germania tenent; procedatur vsque ad originem singulorum. Constat autem omnium origo ex literarum monumentis: relegantur & repetantur accuratissimè, & minutissimè, quæ ante Lutheri ortum acciderunt; in nullo penitus reperietur vllus Episcopus Lutheranus; hoc est, qui illos articulos crediderit, credendosque populo sibi subiecto proposuerit; quos hodierni Lutherani Episcopi credunt, & per *Prædicantes* populo prædicant. Quocirca quando à Germanis vocantur Bischoff; nouam significationem vox illa inditam habet; abiecta veteri; quę cum Christi religione in Germaniam venit.

Sic vox *Capellani*, Germanis Caplan, Catholica vox est, à *Capellis*, seu *sacellis*, quibus *Capellani* præerant, & adhuc præsunt: Inuenio & apud Lutherum in Epistolis *Capellanum VVitenbergensem*: Et, multis in locis Lutherani Prædicantibus quibusdam minorum gentium, hanc appel-

pellationem tribuunt; quam, vt opinor, non desumũt, à sacris *Capellis*, quæ Germani vocãt, die Căplen, seu Căppelin, quia nullas habent; aut, si habent, iam profanatæ, & hæreticis immunditiis contaminatæ sunt; sed à *simis Capellis*; ita vt talis Lutheranus *Capellanus*, & *caprarius* sint synonyma.

Paulò subtiliores, & circumspectiores sunt in hac re Caluinistæ; qui vocabula quomodocunque Catholicam religionem, & *Missam* redolentia, quantum possunt, exterminant. Vnde cum quidam Sarauia longo commentario *Episcoporum*, *Archiepiscoporum*, & talium Ecclesiasticarum dignitatum appellationes restituendas suasisset; mox occurrit Beza; libroque opposito, docuit, nihil huiusmodi in mores inducendum; sed *Pastoris*, *Ministri*, & huius generis alia simplicia vocabula retinenda; probè animaduertens; *Episcoporum*, *Archiepiscoporum*, *Capellanorum*, *Diaconorum*, & similium nomina nõ nisi æquiuocè in istos competere. Viderit tamen ipse, quomodo hanc suam sententiam sit excusaturus ad Anglos Caluinianos; vbi omnia plena huiusmodi *Episcopis* æquiuocis, hoc est, monstrosis, quales, præter nostram, nulla vnquam ætas spectauit: nisi fortè Ariana, Donatistica, Pelagiana, & id genus aliæ monstrorum prodigiosorum perquàm fœcundæ.

CA-

CAPVT XX.

Hæreticos refelli à vocabulis, quibus Germani religiosos nominant.

PRÆTER Ecclesiasticos degunt in Catholica Ecclesia religiosi: quorum, aliqui Monachi; Germanis ab hac ipsa Græca voce, Münch: Monasterium, Kloster, à Latino *Clostrum*, seu *Claustrum*; vtrumque enim olim in vsu; sicut *clodo* & *claudo*, *Clodius*, & *Claudi⁹*: inde, *clausura*, vox mõastica: Germanicè Klauß: & si, alio, quàm monastico significato: nẽpe pro difficili in prouinciam quampiam aditu, & quem facilè sit intercludere. A Monasterio formarunt Germani suum Münster; quod de præcipuis dũtaxat, & celebrioribus templis dici solet: clara, nisi fallor, origine: apocope & syncope interueniente, & o. in ü. mutato, vt pro *monster*, esset Münster: quæ sic appellata: quia olim etiam sacerdotes huiusmodi templis deseruientes, & Canonici, more Monachorum, in communi viuebant. Hinc accidit, vt cùm à Monachis, quod ad communem viuendi rationem attinet, non multũ discreparent; Germani, habitacula, & Ecclesias illorum à *monasterio* appellarint Münster, sicut Monachorum, à *claustro*, Closter. Ferè enim veteres sacerdotes simul habitabãt in ædibus, Ecclesiæ contiguis: sicut adhuc multis locis videre licet. Quamuis etiam domicilia Monachorum reperias, quæ vocentur Münster: & aliquando adiuncto Epitheto Münchß Münster. Item Pfaffen Münster, ad distinctionem Monachorum. Et diminutiuè Minsterlingen monasterium monialium ad lacum Acronium non procul Constantia. In *syllabo* fraternitatum nominatur *Monasteriolum*. *Sororibus in Monasteriolo*.

Vide Tom. 2. script. Alamannicorum.

Vt

Vt ergò ad institutum reuertar, vox hæc Mönch, Germanis orthodoxum quiddam, & Catholicum, & in Germania à fide Christi introducta; (imò in tota Ecclesia, teste S. Augustino, & S. Epiphanio) semper vsitatum repræsentat: quod apud hæreticos frustra quæras; nisi videre velis Monachos Apostatas, feces nostras, folles Gehennæ; filios diaboli; qui rem cum nomine eiurarunt.

Rident hæretici vocabulum *Monachi*; magisque ridebunt, cùm legerint vocem hanc à me vrgeri, tanquã Catholicæ fidei testem & indicem. Rideant, quantum libet. Interim nos scimus, Monachos, & monasteria in tanta veneratione Germanis fuisse, vt & *Monachos* loco stemmatum vsurparint; multisq; rebus à *Monachis*, monasticisque institutis nomen imposuerint. Quæso, nullamne norunt in Germania ciuitatem, quæ Germanicè vocetur Münster, Latinè *Monasterium*? Nullamne, quę à Monacho, *Monachium*? Germanis München? Nullamne, quæ suis in insignibus *Monachum* præ se ferat? Nullamne, quæ à sacerdotibus, von Pfaffen, nomen habet? Nullãne cui loco stemmatũ, sit *sacerdos*? Nullamne, quæ vocetur, Bischoffszell, quasi *cella Episcopi*. Bischoffsheim, quasi, *domus Episcopi*, Appenzell, quasi *Abbatis cella*? Quæ vnquam ciuitas, quis vnquam pagus tam vilis, & abiectus, cui insigne sit, aut fuerit, aut futurus sit Prædicans? Quando vnquam erit illud seculum, quo, vt nunc à sacerdotibus: ita à Prædicantibus loca cognominata audituri sumus; Predicantenhofen sicut iam Pfaffenhofen, aut Predicantmünster, sicut iam Pfaffenmünster; aut *Prædicantium*, sicut iam *Monachium*: aut Predicantenzell, sicut iam Appenzell? *Heu quis victurus est*, aiebat Balaam, *quando ista faciet Deus*? Num. 24.

Monachorum Antistes Latinis est *Abbas*, Germanis

Abt. Vox Catholica, non Lutherana, vel Caluiniana: nisi quod alicubi Lutherani Prædicantes *Abbatum* titulo iam sese exornant. At ipsimet, credo, vident, se nihil aliud esse, quàm Aesopicas corniculas, alienis plumis superbientes: quibus *vxor*, *Abbatissa*; *conuentuales*, numerosa soboles. Cantus, diurnus, nocturnusque infantium vagitus; mitra; vitra, & id genus alia superioribus seculis inuisa; eiusmodi tamen *heteroclitis Abbatibus* congruentia ornamenta; quos iure compellaueris illa compellatione; qua vsum ferunt quendam, qui iussus vrogallum offerre cuidam Abbati; sic munus verbis commendauit: **Gnediger Herr Orhan / da schikt euch mein Herr ein Abt.** Aptius hos Abbates non affaberis.

Alicubi, qui Monachis præsidet, appellatur *Præpositus*: Germanis ab eodem fonte, contracta voce, **Probst**; quæ nomenclatura maximè viget in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis; quæ similiter *Catholicismi*, non *Lutheranismi* nota. Nec risum continent saniores Germani, quando audiunt; **Jacob Andre Schmidle Propst zu Tübingen / Abt zu Babenhausen.** Ioannes Magirus, **Roch / Probst zu Stutgartē.** Qualis **Probst**, Prædicās, nulli Germano ante Lutherum visus? Nam, si resurgerēt quotquot Germani Christiani ante quintum Euangelium vixerunt; viderentque eiusmodi *Præpositum*; consona voce clamarent; non esse præpositum, sed portentum, quam primùm deponendum, & in vltimas terras transponendum. qui non modò orthodoxorum sensus est; sed & Caluinianorum; qui istos *Lutheranos Abbates*, & *Præpositos* sæpissimè publicis scriptis irrisui habuêre, & tanquam laruas quasdam, ludibrio exposuêre.

Nec viri solùm in Catholica Ecclesia religiosam vitam amplectuntur, sed & mulieres; quas Germani vocāt

Clo-

Closterfrawen, & Nonnen: voca bulo antiquo, feminas, quæ castitatem profiteantur, significante. S. Hieronymus ad Eustochium: *Castæ vocantur, & Nonnæ.* In legibus Francicis: *Monachi, & Nonnæ.* Item; *Nonnanes, & Nũnanes.* Vsus eâdem est voce Xiphilinus in Domitiano, pro Vestali, nisi fallor, Virgine: πολλάκις δὲ καὶ τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νόννας, καὶ γυναῖκας συνέβαλε. *Sæpe agones noctu instituit. Et est, cùm & nonnas, & mulieres inter se commisit.* Eadẽ vox ad viros quoq; translata fuit, sed alia notione. In additione prima ad lib. 7. Legum Francicarum cap. 54. *Vt qui præponuntur, Nonni vocentur.* In regula B. Benedicti: *Priores, iuniores suos, fratres nominent: iuniores autem, Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur, paterna reuerentia.* Num & apud hæreticos *Nonnæ*, quarũ professio, & nomen simul cum religione Christiana in Germaniam venerunt? Vtique: sed apostatrices, desertrices, Borrhæ, vel potius *Pornæ*, & *mœchæ*; non velatæ, sed reuelatæ.

Lib. 2. cap. 3.

Addamus & hoc; *Nonnæ* vocem adeò fuisse vsitatã, vt etiam in proprium nomen transierit. Nam, mater S. Gregorij Nazianzeni, de qua Martyrologium Romanũ quinto Augusti, vocabatur *Nonna*: idem planè significãs, quod Monialis, seu Monacha. quin & mater S. Augustini *Monacha*, seu *Monica* dicta fuit; idem inter Afros, & Latinos habens nomen, quod mater Nazianzeni inter Græcos, & Cappadocas. Hinc Theodorus Prodromus in Epigrammatis vocat S. Gregorium Nazianzenum τόκον νόννης, *fœtum Nonnæ*; hoc est eius, quæ non quidem instituto, sed vocabulo Nonna erat.

Velum, qua sacræ virgines velantur, & Christo despondentur, appellant Germani ein weihl; voce, vt videtur, ex Latino vocabulo formata. solent enim v. Latina-

tinarum dictionum conuertere in VV., vt *vinum*, Wein; seu, vt, Acroniani mei & Heluetij Win: *Villa*, Weil, seu Wil; vt apparet in illis compositis; Rotwil, Salmanß-wil: & ipsum simplex nomen Weil, seu Wil, quibusdam opidis, & pagis tributum nouimus. Nostrum ergò Weil à velo factum, Germanis nihil aliud est, quàm argumentum nuptiarum cum cælesti sponso indissolubiliter, & irreuocabiliter initarum: estque hic sensus Germanis cum ipso Christianismo innatus, velum hoc esse sacrũ, & (vt Optatus Mileuitanus loquitur, qui velum hoc *mitrellam* nominat) *indicium voluntatis, vt rem iam Deo deuotam ne qui sponsabat, perseueret petere, aut, ne raptor audeat violare.*

Optatus lib. 6.

Donatistæ olim, odio Catholicorum, quorum res omnes censebant pollutas, & immundas, cogebant moniales vela, seu mitrellas ab orthodoxis acceptas, abiicere, & alias sumere. In quos grauissimè Optatus: *Illud, quã stultum, quàm vanum, quod ad voluntatem, & quasi ad dignitatem vestram reuocare voluistis, vt virgines Dei agerent pœnitentiam, vt iam dudum professæ signa voluntatis capitibus, postea vobis iubentibus immutarent: vt mitrellas alias proiicerent, alias acciperent, &c. Spiritale nubendi hoc genus est; in nuptias sponsi iam venerant voluntate, & professione sua, & vt secularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent: spiritali sponso soluerant crinem; iam cælestes celebrauerant nuptias. Quid est, quòd eas iterum crines soluere coëgistis? Quid, inquam, quòd ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? Quando mortuus est, cui nupserant, vt iterum nubant? Nudastis denuo capita iam velata; de quibus professionis detraxistis indicia, quæ contra raptores, aut petitores videntur inuenta.* Hæc Optatus cordatissimè in nefarios Donatistas.

Quid

Quid diceret, si hodiernos sectarios videret, qui moniales non cogunt, vt alia vela sumant; sed, vt semel sumpta, penitus abiiciant, cælesti sponso libellum quasi repudij mittant, & ad nuptias terrenas absque vllo vel Dei, vel hominum respectu, aut metu impudentissimè conuolent; & conuolando rem gratam se Deo facere autument. Quanquam Donatisticis quoq; temporibus, non raro accidit, vt detractis mitrellis, nec statim repositis, virgines quædam ad nuptias pellicerentur. Quod deplorans Optatus, sic scribit: *vtinam id, quod tulistis,* (mitrellas nimirum, *seu sacra vela*) *velociter reuocare velletis. Interposuistis moras, vt retractæ in pristino habitu aliquæ diutius remanerent, retractis signis, quibus se iam dudum contra petitores, & raptores munierant. Qui cùm viderent præscriptionem sibi iam dudum oppositam à vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt. Nec visus est sibi vnusquisque peccasse, dum talem rapuit, qualem viderat, quando vt vxorem acciperet, postulabat.*

Addamus & hoc, licet suspicer nasutioribus ridiculum visum iri. Ipsa vox Faßnacht nemini non cognita, nulliusque ore non trita, aliquid nobis insinuat, quod palato hæretico non valdè iucundum accidit. Nam Faßnacht nihil aliud est, quàm Fastnacht, hoc est *nox ieiunÿ*: quia, ieiunium Quadragesimale immediatè antecedit. Nouatores & vocem; & rem der Faßnacht diligenter retinuerunt; & in fastis suis notant: id verò, quod sequitur, & ad quod die Faßnacht, quasi ianua, & introitus est; quadraginta diale videlicet ieiunium, & à carnibus abstinentiam, multùm valere iusserunt.

CAPVT XXI.

Hæreticam vanitatem redargui à vocabulis, quibus Germani Ecclesias appellant.

ANTIQVISSIMVM, & vulgatissimum vocabulum apud Germanos est **Kyrch**, à Græco *κυριακὴ*, seu *κυριακὸν*, vt notauit quoque Vualafridus Strabo: Latinè ad verbũ *Dominicam*, seu *Dominicũ* dicere possis: à quo Germanis vox **Thum**, seu Domm; & compositè, **Thomkirch**, quæ primarias, & cathedrales Ecclesias significant.

Voce **Kirch** vtuntur etiam hæretici; sed ferè tantùm, quando sermo est de aliqua Ecclesia à Catholicis olim ædificata; & postmodum à sectariis occupata. Nam si quis ædem quampiam ab ipsis hæreticis sectæ suæ vsibus exstructam, præteriens; sciscitetur, etiam ex hæretico, quid nam hoc sit ædificij; vix respondebit, esse *κυριακὴν*, **ein Kirch**, sed *domum concionatoriam* **ein Predighauß**; vel cum addito, **ein Euangelische Kirch**, hoc est, *Ecclesiam non Ecclesiam*, *κυριακὴν* non *κυριακήν*: nec mirum, illos talia responsa dare. Vident enim huiusmodi domos, & forma, & ornatu, & fine, & destinatione, & pietatis exercitationibus à veris Ecclesiis penitus discrepare.

Illas tamen Ecclesias, quas Catholicis ademerunt; appellant **Kirchen**, imò & **Thumkirchen**, vbi talia templa inuaserunt. Etiam Parochias, **Pfarren**, & Parochos, **Pfarrhern**; &, quod ridiculum, nonnullis in locis, maximè in Anglia, *Canonicos cathedrales*, **Thumhern**, & *Decanos*, **Dechant**, *decanatusq́;* audias & videas: hoc est, simios nostrorũ Parochorum, & Canonicorum, & Decanorum: tales videlicet; quorum gratia, à condito Christia-

nismo

nismo nulla cõdita fuit *Parochia*: nullus fundat⁹ *Canonicatus*: nulla *præbenda* (Germanis Latina origine **Pfründt**) instituta: quos Carolus Magnus, fundator tot Episcopatuum, & Canonicatuum in Germania; aut alius quispiam, si reuiuisceret, his verbis Tertulliani salutaret. *Qui estis? quando, & vnde venistis? quid in meo agitis non mei? Mea est possessio. Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio. olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Quo*, Lutherani, *iure syluam meam caditis? Qua licentia*, Caluinistæ, *fontes meos transuertitis? Qua potestate*, vos hæretici, *limites meos commouetis?* Vt olim diabolus Ethnicus imitatus est res, mysteria & nomina Christianorum; ita idem nunc facit diabolus Lutheranus, & Caluinianus: quamuis sibi ipse aduersus; nam Præpositos, Decanos, Episcopos, Archiepiscopos, mitras, & similia, quæ per quosdam defendit ac retinet; ea per Bezam, & alios Puritanos oppugnat.

Tertull de præscript.

Vox **Kirch**, significat quiddam sacrum, Deoq; certo, & solenni ritu dedicatum, & consecratum. Hinc Ecclesiis nostris à se occupatis, tribuunt hæretici hanc appellationem: nouis verò ædibus suis vix, & non nisi trepidè. sciunt enim manifestè, non esse consecratas; **Daß sie nicht geweicht seyn.** Quocirca nullam *domuum concionatoriarum* dedicationem, seu **Kirchweihe** quotãnis celebrant; cùm tamen, vbi nostra templa tenent, eorundem in singulos annos dedicationem magna frequentia, magnoq́ue iubilo; præsertim in culina, & popina, peragant. Nec aliter nominant, quàm **die Kirchweihe.** Quid est **Kirchweihe**, nisi *consecratio*, & *sanctificatio* templi? Et ita loquuntur ipsimet Prædicantes, quando Euangelium de Zachæo in dedicationbus legi solitum explicant: vixque inue-

inuenies Lutheranam *Postillam*, in qua nō appareat Euāgelium, **am Tag der Kirchweihung**. Ita loquuntur, & canunt Prædicantes cum vulgo *Prædicantico*. Vocant **ein Kirchweihung**, hoc eſt, ex vi vocis, *ſanctificationem* & *conſecrationem Eccleſiæ*. Et tamen aiunt, Eccleſiarum dedicationem eſſe *ſuperſtitioſam*, & *idololatricam*. Cur ſi talis eſt, appellatur ab ipſis **ein Kirchweihe**, hoc eſt, ſanctificatio? An vlla ſuperſtitioſa, & idololatrica ceremonia dici poteſt ſanctificatio? **ein Weihung**? An aliam dedicationem celebrant; quàm illam, quæ olim à Catholico Epiſcopo facta: & quam Catholici, quando templa illa tenebant, celebrabant? Certè, non aliam; ſed illam ipſam: quia celebrant illam eodem tempore, eâdem quotannis die, qua olim Catholici. Quò fit, vt celebrent dedicationem illam, quæ ab Epiſcopo Catholico, vſitatis cæremoniis, olim peracta eſt. An fortè, nec quid loquantur, nec, quid agant, intelligunt? Vocant **ein Kirchweihe**, & celebrant **alß ein Kirchweihe**; & poſtea, quando venitur propius ad rem; negant eſſe **ein Kirchweihe**, hoc eſt, *ſanctificationem templi*.

Dicant, oro; ſi dedicatio facta ab Epiſcopo non eſt ſanctificatio, hoc eſt, **ein Weihung**, quæ tandem dedicatio ſubſecuta eſt, à qua Eccleſia dici poſſit ſanctificata, & conſecrata, **Geweihet**, & reſpectu cuius vniuerſum vulgus veſtrum hoc nomen **Kirchweihung** in ore habet? An tunc Eccleſia conſecrata, & ſanctificata eſt; quando cruces, imagines, & aras euertiſtis; & quidquid precioſæ ſupellectilis erat, in crumenas veſtras euerriſtis? ſi hæc profanatio dici poteſt dedicatio & ſanctificatio; tunc profectò Turcæ Eccleſias Chriſtianorum inſigniter ſanctificant, & conſecrant; quia, inſigniter illas exſpoliant. ſed tamen Lutheranos in dedicatione Eccleſiæ, non ad

hanc

hanc Lutheranam, Caluinianam, imò Turcicã dedicationem; ſed, ad illam Chriſtianã à Catholico Epiſcopo olim profectam, reſpicere; cùm Kirchweihung nominant vel celebrant; ſuadent, quæ prius dicta ſunt: quanquam pro ſua conſtantia, quod ore adſtruunt, mox iterum eodem ore deſtruunt; vt & in aliis contingit: Aquã enim benedictam vocant Weihwaſſer, nec aliter nominare poſſunt; & tamen, quam ipſo nomine ſanctam, conſecratam, & benedictam profitentur; hanc poſtea *ſuperſtitioſam*, & *Ethnicam* calumniantur.

Illud præterea ex Lutheranis libenter intelligerem: quare, ſi non in templo, certè in foro, tam ſolenniter templorum dedicationem celebrent, conuiuiis, choreis, & id genus aliis oblectamentis; & communi omnium, etiam paruulorum gaudio, & mutua inuitatione; & plebis, quamuis Lutheranæ concurſu, nec vno dũtaxat die, ſed & altero, ſi non tertio; cùm huius faciendi nullum in diuinis literis noui Teſtamenti exſtet præceptum, nihil autem in cultu facere liceat, niſi quod præceptum eſt, ex decreto Prædicantiũ: quia ſcriptum eſt; *Hoc tantum, quod præcipio tibi, facies*. Vbi autem prȩceptum de die dedicati templi ſolenniter celebrando, præſertim cùm ex *Papatu* mos iſte deſcendat? Certè, vt alia non pauca feſta ex vſu & Calendario, tanquam nimis *Papiſtica*, expunxerunt; ita & hanc dedicationis ſolennitatem expungere debebant. ſed quia ventri apud Lutheranos plus oblectationis parit, quàm menti; ideo feſtum dedicationis, etſi origine prorſus Catholicum, &, vt ipſi loquuntur, *Papiſticũ*, ſtudioſè retentum eſt.

Licet autem hæc etiam externa celebritas, & populi hilaritas in tẽpli dedicationibus, iuſtiſſimis, & antiquiſſimis rationib⁹ & exẽplis nitatur: neſcio tamẽ, nũ Luthe-

rani, qui purum putum, & in Saxonicis caminis defæcatum Euangelium ſequuntur, eiuſmodi rationibus ſe tueri queant.

S. Aug. homil. 255. de temp.

Ab hac communi omnium in altaris, vel templi dedicatione lætitia, monet D. Auguſtinus ſuos auditores, vt & ipſi in corde, & corpore ſuo altare Deo conſtruant, & illud purum conſeruent, inque eo iuges hoſtias offerant: *Tunc enim ordinem legitimum conſecrationis altaris cum gaudio celebramus*, inquit S. Auguſt. *quãdo altaria cordis, vel corporis noſtri munda, & pura in conſpectu diuinæ maieſtatis offerimus. Nam, neſcio qua fronte, aut qua conſcientia, optat in altaris conſecratione gaudere; qui in cordis ſui altari non ſtudet munditiam cuſtodire. Nos verò, fratres chariſsimi, ita agere ſtudeamus, vt ſemper feſtiuitatem duplicem celebrare mereamur: & quomodo de tẽpli, vel altaris conſecratione gaudeamus; ſic inuiſibiliter de corporis caſtitate, vel animæ puritate ſpiritale gaudium habere mereamur.* Hæc S. Auguſtinus. Neque verò hîc intermittere poſſum, quo minus aliquid de Luthero indicem, quod noſſe, Chriſtiani lectoris interſit.

Tom. 7. Lat. VViteb.

Lutherus valde odit Germanicũ vocabulũ Kirch. Quapropter in libello, de tribus ſymbolis, hæc effutiuit: *Vocabulum Eccleſiæ in noſtra Germanica lingua* (Kirche) *admodum impropriè, & inconcinnè ſonat, nec verum, & genuinum ſenſum, qui præcipuè in hoc articulo ſpectandus eſt, exprimit.* Ibid. *Quod ſi in ſymbolo hæ voces vſurpatæ fuiſſent; credo eſſe ſanctum aliquem Chriſtianorum cœtum, facilè omnes iſti abominandi & deplorandi errores, qui ſub illa perobſcura, & aliena voce* (Kirchen) *in Eccleſiam irrepſerunt, præcaueri potuiſſent.* Vbi, impurus Apoſtata reprehendit Apoſtolos, quaſi non ſatis circumſpectè in ſymbolo poſuerint illius articuli verba; *Credo ſanctã Eccleſiam*, &c. Ibid. *Quia*

verò

verò hac obſcura, & aliena voce (Kirche) *in ſymbolo vtimur, vulgus audiens eam, nihil aliud imaginatur, & cogitat, eſſe Eccleſiam, niſi externum illud ædificium lapidibus exſtructum.* Mentitur Apoſtata: quia, additur: Ich glaub ein heilige allgemeine Kirchen. Quæ verba, ſatis indicant, articulum hunc, non loqui de ædificio; quæ & ipſa dici ſolent Kirchen, eò quod Eccleſia, die Kirche, in illis ædificiis ſeu ædibus congregetur.

In eandem vocẽ Germanicã Kirch, & in illud: *communionem Sanctorũ*, Gemäinſchafft der Heiligen, luculenta odij ſui ſpecimina edit Lutherus in maiore ſuo Catechiſmo: Inprimis mentitur hæc duo, *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam*, &; *Sanctorum communionem*; *vnum idẽque coniunctim ſignificare, & olim alterum adiectum non fuiſſe, planeq; male & ineptè linguâ nobis vernaculâ expoſitum eſſe.*

Reſpondeo, aut loquitur de Græco, aut de Latino, aut de Germanico ſymbolo, aut de omnibus ſimul: ſed quidquid Lutherus dicet, nil niſi mendacium dicet: neque enim vllũ vel Græci vel Latini vel Germanici ſymboli antiquum exemplar vnquam proferet, in quo hæc duo non contineantur, Et vt de Germanica tantum lingua loquar, habeo ex Bibliotheca ſancti Galli vetuſtiſſimum ſymbolum, in quo diſertè hæc duo leguntur his verbis. Kilaubu in vvihan Keſt (Ich glaub in heiligen Geiſt) in vviha Khirihhun Catholica (ein Heilige algemäine Kirchen) vbi vides vocabulũ Khirihhun, quod Lutherum in ſymbolo tantopere cruciat. Vvihero Kenenitha. (Gemäinſchafft der Heiligen) pari modo exſtant & diſtinguuntur duo iſta in alio ſymbolo, quod ex Notkero exſcripſit Vadianus Sacramentarius lib. 2. de Colleg. & Mõaſteriis Et Stumphius in Chronico ſuo.

Nec eſt quod Lutheranus ex hoc ſymbolo illam Lutheri Gemein oder Samlung, de qua poſtea dicemus, defendere conetur; eo quòd articulum: *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicã*; ſic reddiderit: Kâlaubo heilige die allelichun geſamenunga. hoc eſt, *Congregationem*: nam ſymbolũ illud, quod habet Khirihhun, longè vetuſtius eſt; Et vt vetuſtius non eſſet; vox tamen Kirch potius, quàm vox Samlung ſeu Verſamlung vſurpanda foret; quia hic valet illud: *Viue moribus præteritis, & vtere verbis præſentibus*. Verbum autem præſentis vſus, & quidem vſitatiſſimi, eſt Kirch. Si Lutherani ex hoc priſco ſymbolo ſuam illam vocem Samlung tueri & accerſiri volunt, accipiant & illam alteram allelichun, hoc eſt, algemein. At ſerò, nunquam ſerio morem gerent.

Pergit Lutherus corrigere nullius correctionis egentia. *Si ſignificanter enunciandum eſſet Germanico ſermone, prorſus aliter proferendum eſſet*. Scilicet Germani vſque ad Lutheri aduentum nunquam ſuo idiomate *ſignificanter* ſymbolum extulerunt. Islebicus transfuga exſpectandus erat, qui Germanos *ſignificanter* ſymbolum recitare & decantare doceret. *Nos Germani*, inquit Lutherus, *hãc dictionem Kirch vſurpare conſueuimus*. Et quidem rectiſſimè, ne dicam neceſſariò, ſi quis ita ſymbolum reddere velit, vt intelligatur. An non tu ipſe, licet inuitiſſimus, in ſymbolo hac voce vti debuiſti? ein heilige Chriſtliche Kirch. Sic enim vterque tuus Catechiſmus habet. Ais, *vocula Kirch ſignificat congregationem*. Eſto. *Neque vox Germana eſt*: imò eſt; tametſi Græco fonte cadit: quod Germanitati non obſtat; alioqui neque voces Wein aut Brot eſſent Germanicæ; quia illa deſcendit à Latino *vinum*, hæc à Græco βρωτὸν, quod *edulia* ſeu *eſculenta* ſignificat. Et quis Germanorum ſuo in idiomate adeo eſt hoſpes,

ſpes, qui non intelligat, hoc vocabulum Kirch, & id tã-
quam Germanicum vſurpet?

Illud ineptum ſimul & falſum *eſt*: *Græcos Eccleſiam ſuâ linguâ vocare κυρίαν, quemadmodum Latini Curiam.* vt enim Latinum *Curia* natum ſit ex Græco κυρία, ſi vocem ſpectes, falſum tamen eſt κυρίαν Græcis ſignificare Eccleſiã vel curiam; cum illam appellent κυριακὴν ſeu κυριακὸν, vel ἐκκλησίαν non κυρίαν, vt notum omnibus, qui Rituales libros vel primoribus labris deguſtarunt.

Sed age, Luthere, quandoquidem tibi non placet Germanica illa verſio: Jch glaub ein heilige Allgemeine Kirch, qua tandem ratione vertẽdum cenſes hunc articulum? *Recto Germanorum ſermone, Chriſtianorum communio ſeu congregatio* (Ein Chriſtliche Gemeine oder Samlunge) *aut omnium optimè & clariſſimè, ſancta Chriſtianitas* (ein Heilige Chriſtenheit) *dicenda fuerat*. Malè ergo recitarũt hactenus Germani illũ articulum. Jch glaub ein heilige Allgemeine Kirch: Sed dicendũ erat: Jch glaub ein Chriſtliche Gemein oder Samlung: vel Jch glaub ein heilige Chriſtenheit. At dic Luthere, ſi hic tuus eſt rectus Germanorũ ſermo, ſi hæc tua verſio eſt omniũ optima & clariſſima, cur eam tuo in Catechiſmo non vſurpaſti? Cur vocabulum Kirch retinuiſti? Cur non eadem impudentiâ, qua vocem Catholiſch oder Allgemain, ex ſymbolo expuliſti? An aduertebas ſtultius hoc eſſe, quã vt vel ſtultiſſimis perſuaderi poſſit? An videbas verſionem hanc profundius in Germanorum pectora deſcendiſſe, quàm vt vllis tuis vociferationibus obrui & expungi queat?

Mira energia redarguendæ falſitatis in ipſis vocabulis. Quapropter vt olim Ariani vocem ὁμοούσιος totis viribus exterminatum ibant, ſic nunc Lutherus ex intimo

pectore vocem Kirch & Catholisch seu allgemäin abolitam cupiebat: hinc & in Bibliis suis nominatim ad Eph. cap. quinto, vbi vox Ecclesiæ sæpius occurrit, & à Germanis vertitur, die Kirch, ipse vbique vertit die Gemäin, hoc est *communitatem* seu *Rempublicam*; tantùm vt sibi molestissimum Germanorum vocabulũ die Kirch declinaret, & pro eo ein Gemäin, vocabulũ omnibus profanis cœtibus & Rebuspublicis commune nobis procuderet; simulque eius quod additur, *sanctorum communionẽ* deprauandi & criminandi occasionem haberet.

Vide quò non progrediatur inuerecunda imò prorsus detrita frons desertoris. Calumniatur antiquissimã versionem: Gemäinschafft der Heiligen. *Hæc*, inquit, *dictiuncula*, communio, *quæ alteri annexa est*, *non* Gemäinschafft, sed gemäin *interpretanda fuerat. Neque aliam ob rem, quàm interpretandi gratia priori adiecta est, qua quispiã haud dubiè exponere voluit, quid Christianorum esset Ecclesia. Pro quo nostri, qui & Germanæ & Latinæ linguæ iuxta imperiti fuêre, transtulerunt*; Gemäinschafft der Heiligen; *cum tamen nulla Germanorum lingua ita loquatur aut intelligat.* En vocabulum Gemäinschafft ferre nequit Lutherus. Quade caussa? Quia significat aliquid quod Luthero crucem gignit. Quid illud? Communicationem cum aliorum, tum etiam satisfactionum, precum, & intercessionum inter Sanctos, tam illos, qui hanc mortalem adhuc degunt vitam; quàm illos, qui immortale in cælo æuum agitant. hanc inter Ecclesiæ membra meritorum participationem & cõmunicationem cum Lutherus penitus inficietur, nihil à sua indole alienum fecit; cum Germanicum illud vocabulum huius rei testem & indicem reiecit: & vt reiiciendi occasionem habeat; mentitur membrum illud: *Sanctorum communionem*; idem significare

ficare; quod; *Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam: & nihil aliud quàm huius exegeſin ſeu explicationem eſſe.* Quis non rideret, ſi poſita hac Lutherana ſtultitia, *communionem in ſymbolo idem eſſe, quòd Eccleſiam*; loca epiſtolæ ad Epheſios ſic verteret cũ Luthero? *Vir caput eſt mulieris,* ſicut *Chriſtus caput eſt communionis.* pro, *Eccleſiæ. Sed ſicut communio ſubiecta eſt Chriſto:* pro, *ſicut Eccleſia. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit communionem:* pro, *Eccleſiam.* vt exhiberet ipſe ſibi *glorioſam communionem,* pro, *Eccleſiam. Ego autem dico in Chriſto & in communione.* pro; *in Eccleſia.* Quis riſum teneat, ſi hæc audiat? ſi communitatem vel commune ſicut apud Græcos τὸ κοινὸν, Lutherus pro Eccleſia accipi poſſe affiirmaret: minus ineptiret: at dicere; quod Latinum *communio* idem ſit, quod *Eccleſia*; id omnes ineptiarũ fines tranſcendit. Quis puer in ſcholis non vapularet, ſi iuſſus latinè reddere hanc Germanicam phraſin. **Die gemâin iſt heut zueſamen kommen.** ſic redderet; *Communio hodie conuenit, ſeu comitia celebrauit:* pro, *communitas* ſeu *Reſpublica.*

Addo vocem **gemâin** non eſſe Eccleſiaſticam, ſed profanam. Quocirca à profano Luthero tantoperè adamata fuit. qui imperitiſſimè carpit vocabulum **gemâinſchafft**: quaſi nemo mortalium ita loquatur. **Gemâinſchafft d' Chriſtē mit den Türcken/ Judē / ꝛc. Gemâinſchafft der Teütſchen mit den Welſchen.** Cur nõ pari iure liceret dicere, **Gemâinſchafft der Heiligen**; quā Sancti inter ſe habent? *Credo communionem & communicationem, quæ Sanctis inter ſe mutuo intercedit.*

Rectâ & genuinâ lingua vertenda erat, inquit Lutherus: **ein Gemâin der Heiligen.** Sanctorum communio, *hoc eſt, eiuſmodi cõmunio, in qua non niſi Sancti verſantur.* aut adhuc ſignificantius; **ein heilige Gemâin,** *hoc eſt, ſancta cõmunio.*

munio. Hæc ideo dico, inquit Lutherus, *vt verba sanè & rectè* (Lutherana videlicet sanitate & rectitudine) *intelligantur. cùm hæc consuetudo vsq; adeo vsu recepta inueterauerit, vt vix vnquam ex hominum animis euelli posſit.* (neque tu vnquam euelles, licet nihil inausum, aut intentatum relinquas) *& statim hæresin esse oporteat, vbi verbulum aliquod immutatum fuerit.* omnino hæc omnia innouare nō aliam ob caussam studuisti, quam vt noua tua dogmata stabilires, quibus ipsa symboli Germanica vocabula aduersari videbas: nam modus hic loquēdi; **Gemáinschafft der Heiligen**, apertissimè venerationem & inuocationem Sanctorum indicat.

Eodem consilio exturbasti ex symbolo vocem **Catholisch oder Allgemáin**/ quia Lutheranæ synagogæ vanitatem, & angustias nimis apertè patefacit.

Aiunt Prædicantes, Lutheri sui purgandi gratia; vocem, *Catholica, non posse verti Germanicè*. sed falsum dicūt. An non dicere licet **Catholisch**? Quis in tota Germania Germanus hanc vocem nō intelligit? An non vertere licet, **Allgemáin**, prout plerique vertunt?

Obiiciunt; *esse vocabulum Græcum*. Respondeo, esse Græcū origine; quia, ex Græca stirpe descendit: vsu tamē esse Germanicum, & ab omnibus intelligi: Sicut **Euangelium**/ **Euangelisch**/ **Euangelist**/ Germanica sunt; omnibus, etiam pueris, nota, tametsi Græca origine; vt alia huius generis tam sacra, quàm profana vocabula, Græcæ, & Latinæ stirpis, sed iam Germana ciuitate donata, sileā. Et cur Lutherus nō est vsus voce illa vsitatissima, **Allgemáin**? Causa in promptu est: quia non quadrat in Lutheranam sectam, quæ non est vbique diffusa, sed in angulis

qui-

quibuſdam ſeſe iactat. Dicunt Prædicantes, *hanc vocem* Allgemäin *non intelligi à vulgo, niſi explicetur.* Sed mentiuntur. Vocabulum notum eſt, ac ore omnium tritum; ſed, ob cauſam prædictam, non facit ad *Prædicanticum* ſtomachum: quemadmodum neq; illud, Catholiſch, nam, ſicut olim, teſte D. Auguſtino, rogante quopiam, vbi ſit Catholica (Eccleſia) nullus hæreticus auſus fuit oſtendere ſuum templum, ſeu *fanum*: ita & hodie, ſi quis ciuitatem quampiam ingreſſus, vbi cum Catholica religione, hæretica perfidia ſedem fixit, interroget, vbi ſit ein Catholiſche Kirch / oder ein Catholiſcher Prieſter / nemo Lutheranum delubrum, aut Lutheranum *Prædicantem* monſtrare audet.

Hæc de voce Kirch. Omitto nunc illa, quæ in κυριακοῖς, vt *altaria*, Altar / *Cruces*, Creütz / *vexilla* Fahnen / à φαίνω, quaſi φάνα, *lampades*, Amplen; Veſper / Complet / Mätte / *matutinũ*, Mettezeit / Non, *Nona*, vmb die Nonzeit / *circa tempus Nonæ*, Vigil / *vigiliæ*, centena talia, Germanis omnibus trita; Catholicæ fidei vocabula & ſymbola.

Neque verò hæc Eccleſiaſtica vocabula, ex Græca & Latina lingua nudius tertius ad Germanos deriuata ſunt. Iam tempore Vvalafridi Strabonis; qui floruit circa annum ſalutis DCCC. LXXII; hæc à Germanis Germanica in lingua vſu cõmuni terebantur, teſte Vvalafrido, cuius teſtimonium adſcribam.

VValaf. lib. de reb. Eccleſiaſt. cap. 7.

Multæ res ſunt apud ſingulas gentes, quorum nomina, ante cognitionem ipſarum rerum, apud alias incognita ſunt: ſicq; fit ſæpiſſimè, vt rerum intellectus alij ab aliis addiſcentes, nomina quoque, & appellationes earum vel integrè, vel corruptè, cũ noua intelligentia in ſuam proprietatem trahant. Vt ab Hebræis Græci, Latini, & Barbari, Amen, Alleluia, & Oſanna mutuati

ſunt. A Græcis, Latini, & omnes, qui libris Latinorum, & lingua vtuntur; Eccleſiam, Baptiſmum, Chriſma, & omniū penè radices dictorum acceperunt.

A Latinis auten Theotiſci multa, & in communi locutione, vt Schämel/Fenſter/Leckar*: in rebus aūt diuino ſeruitio adiacentibus penè omnia. Item à Græcis, ſequentes Latinos, vt Kylch, calicem,* Vatter/*Pater, mater* Moutter/Genez/*à gynæceo; quæ Græcè dicūtur* κύλιξ, πατὴρ, μήτηρ, γυναικεῖον. *Cū in quibuſdam horū non ſolùm Latini, vt genitor, & genitrix, ſed etiam Theotiſci proprias habeant voces, vt atto,* & *amatodo,* & *toda, Ab ipſis autem Græcis* Kirch *à Kyrios, &* Papſt *à Papa, quod cuiuſdam paternitatis nomen eſt, & Clericorum congruit dignitati:* & Hert, *ab eo quod eſt heros, &* Monn, & Monath *à* μήνη, *& alia multa accepimus. ſicut itaq; domus Dei, Baſilica, id eſt, Regia, à Rege: ſic etiā, Kyriaca, ideſt Dominica, à Domino nuncupatur: quia, Domino dominantium, & Regi regū in illa ſeruitur.*

Si autem quæritur, qua occaſione ad nos veſtiga hæc Græcitatis aduenerint, dicendum & Barbaros in Romana Rep. militaſſe, & multos prædicatorum Græcæ, & Latinæ locutionis peritos, inter has beſtias cùm erroribus pugnaturos veniſſe: & eis pro cauſis, multa noſtros, quæ prius non nouerant, vtilia didiciſſe, præcipueque à Gothis, & Gethæ, cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere, perducti ſunt, in Græcorū prouinciis commorantes, noſtrum ideſt, Theotiſcum ſermonem habuerint. Hæc Vvalafridus.

CA-

CAPVT XXII.

Confirmantur varia Catholicorum dogmata ex vulgatis Germanorum loquendi modis.

DEVM esse auctorem peccati, docuerunt Caluinus & Beza, & olim Lutherus quoque, & Melanchthon, vt ex eorum libris ostendi in Appendice disputationis de SS. Trinitatis mysterio, quam anno superiore in hac Ingolstadiensi Academia pro lauru Doctorali proposuit admodum Reuerendus, nobilis & clarissimus dominus *Ioannes Iacobus im Hoff*; etsi postea Philippum tam sacrilegę & impię doctrinæ puduit, spongiaque eluerit, quidquid hac de re blasphemè effutiuerat, in caput octauum epistolę ad Romanos, & in Locis Argentorati excusis Anno 1523.

Hanc blasphemiam vox Germanica, qua deus designatur, euidenter refellit. Vocant enim Germani Gott, quasi gut, *à bonitate*, vt omnes, qui etymologias scrutantur, annotant; ita, vt qui Latinis est *Deus* (vndecunque tandem hoc nomen natum sit) is Germanis sit *bonus*. Quomodo autem bonus, si auctor scelerum, hortatorque ad scelera? Quomodo Deus, hoc est, iuxta Germanicam dialectum, *bonus*, si flagitiorum effector? Censuit & Tertullianus, ipsum Dei nomen satis esse ad hoc, vt Deus existimetur bonus: & quidem tantum bonus: *Deum interim sufficit dici, vt necesse sit bonum credi: malum enim Deũ quis præsumpserit? constare in vtroque non poterit. aut Deum negare debebit, quem malum existimarit; aut bonum dicere, quem Deum pronunciarit.*

Tertull. contra Gnost.

Quæstio est, nũ homo libera voluntate sit præditus.

 Lu-

Lutherus & Melanchthon initio ſui Euangeliſmi hoc ſimpliciter pernegabãt, & omnia fatali neceſſitati, Stoicorũ inſtar adſcribebant; vt ex Luthero & Philippo fuſe oſtẽdi in Appendice ad Diſputationẽ de Pœnitẽtia, anno ſuperiore pro Laurea doctorali in Academia Ingolſtadienſi à Reuerẽdo & clariſſimo domino *Iacobo VVaizzeneggero*, parocho Wembdingenſi propoſitam. Hanc impiam & Stoicam opinationem refellit non modò communis ſenſus; ſed & vulgaris ſermo: Nam ſi quis quid facere deliberet, dicere ſolemus: **Es ſtehet bey dir.** *Penes te eſt.* **Jch ſetz dirs frey.** *Relinquo tibi liberum.* **Thue es wann du wilt.** *Fac hoc ſi velis.* Quomodo hoc vel illud penes me eſt, ſi omnia ex abſoluta neceſſitate eueniũt? Si velle & nolle non eſt in noſtra manu? Quomodo mihi hoc vel illud liberum relinquitur, ſi omnia neceſſitate Stoica definiuntur? Quomodo iubeor, vt hoc vel illud faciam, ſi velim, ſi alterutrum abſolutè neceſſarium eſt?

Controuertitur inter Catholicos, & hæreticos, num ſuffragia; & preces viuorum proſint defunctis. Affirmãt illi: negant iſti. Nobis patrocinatur mos vulgatiſſimus Germanorum: apud quos, etiam hæreſi infectos, nihil frequentius; quàm accepto, de morte alicuius nuncio, in hæc, & ſimilia benedictionis verba erumpere: **Gott ſey jhm gnädig:** *Deus ſit illi propitius:* **Helff jhm Gott;** *De⁹ adiuuet illum:* **Gott tröſte ſein Seel,** *Deus conſoletur animã illius.* **Gott verleyhe jhm ein fröliche Vrſtend:** *Deus largiatur illi lætam reſurrectionem.* Quæſo, quid volunt iſtæ tã tritæ omnibus Germanis bene precandi formulæ? Quomodo in linguam, & conſuetudinem Germaniæ introductæ ſunt; ſi nullum *Purgatorium*; ſi nulla poſt hanc vitam temporalis pœna aliquando perſoluenda reſtat? Nã, ſi quis rectà it, aut ad cœlum, aut ad infernum: quid appre-

precatione tua ei proderis; siue sit in inferno, siue in cælo?

Hi, & similes loquendi modi adeò Caluinistarum auribus ingrati acciderunt; vt de iis abolendis, & exterminandis cogitationem susceperint: vt patet ex Epistola Vatelli, Mompelgartensis Caluiniani ministri scripta ad Caluinum Anno 1562. (& est 365. inter Caluini epistolas) in qua hæc leguntur: *Superest, vt ad alia leuia quidem, sed tamen negotij aliquid mihi facessentia meæ festinent literæ. Hic sunt non pauci, qui vita defunctorum mentionem facientes, verba hæc addere solent: cui Deus bonam, & felicem det resurrectionem. scimus quidem vanas, & impias esse preces, quæ pro defunctorum salute funduntur; sed quoniam huiusmodi optatum ad carnis resurrectionem, quam fides nostra sperat, respicit; illud hactenus reprehendere, nondum sum ausus. Itaque scire velim, an homini Christiano in religione bene instituto ita loqui liceat. Et, si licet, quatenus id facere possit.* Ecce, piam hanc, priscam, & orthodoxam loquendi, & mortuis benè precandi formulam, diabolus per suos quoque Caluinianos satellites exterminare molitus est. Adeò elaborat, vt communes notitias ex animo, tritasq; omnium sermone formulas ex vsu hominum expungat.

Quid ad hanc quæstionem Caluinus, vel potius ille, cuius Caluinus Minister erat? *Precationis formula, vt Deus bonam, & felicem resurrectionem det mortuis, quia ad regulam bene precandi non quadrat, repudietur. Tale quidem votum, quin concipere liceat, non contendo. si amicus sepeliatur, vel de eius morte allatus sit nuntius, optabo, vt vltimo die cælestis gloriæ mecum sit particeps. Nulla in hoc voto superstitio. Verùm, alia in precibus tenenda sobrietas, ne quid temerè excidat: nec quidquam postulemus, nisi praeunte Dei verbo. In hoc enim principio acquiescere conuenit. Quomodo inuocabunt, in*

Caluinus epist. 366

quem non crediderunt? Ergo, qui sibi vel minimùm indulgent in fingendis postulationibus, metas transiliunt. Quidquid verò ad præcipuum illud sacrificium vitiandum tendit, à piorum consuetudine longè remotum velim. Quare, vt ab omni fæce purgatus sit Dei cultus, maturè occurrere expedit, ne in communem vsum admittatur, quod à vera pietate degenerat.

En qualis diabolus Caluinisticus? Ne ferre quidem vult, vt vita functis faustam, fortunatamque resurrectionem apprecemur: & consuetudinem omnibus Christianis propemodum innatam damnat. Et, vt stoliditatis suæ vertiginem nobis patefaciat, votum concedit; precationem reiicit: quasi vouere amico felicem resurrectionem liceat: precari non liceat. Et quare precari non licet, si vouere licet: nisi, quia modus precandi aliquid innuit, quod Caluinisticæ Scholæ ingentem cruciatum parit. Quid illud?

Negant hæretici vlla esse hominum apud Deum merita, & opera mercede digna. Quos vel mendici refellunt, non tantum orthodoxi, sed & hæretici: qui, accepta eleemosyna, hanc quasi compensationem reponunt: **Vergelts Gott**: *Deus compenset, Deus remuneret.* Cur stipem largientibus optant mercedem à Deo, si nulla hominis apud Deum merita, hoc est, opera mercede digna?

Quæ Ecclesia vera sit, nostra, an sectariorum, prolixis disputationibus disceptatur; quibus finem imponit vnica vox: *Catholica*, **Catholisch**, hoc est, **Allgemäin**. Illa enim est vera Ecclesia, quæ est Catholica, **Catholisch/ vnd Allgemäin**: nostra est talis, non Lutherana, non Caluiniana. Quomodo enim aut hæc, aut illa *Catholica*, **Catholisch/Allgemäin**, cùm vtraque in aliquibus dun-

duntaxat Septentrionis angulis vigeat, vel potius insaniat? Quomodo *Catholica*, cùm Lutherana nō fuerit ante Lutherum; nec Caluiniana, ante Caluinum? Aut si fuit; ostendatur mihi, non dicā ciuitatula, sed vel vnica villula; in qua creditum sit, quidquid in libro Concordiæ; aut in Institutionibus Caluini continetur.

Pessimè semper habuit hæc vox hæreticos, etiam ætate S. Augustini; quam sibi libenter arrogarent; sed non possunt. Et, si quando, superato, & expugnato pudore, sese Catholicos nominant; non sine tacita formidine, & occulto animi stimulo id faciunt. Vulgus certè, iis in locis, vbi Catholica religio, & secta hæretica simul in vsu; quærenti de Catholica Ecclesia; nunquam demōstrat fanum Lutheranum: quidquid tandem Prædicantes, postquam impudentius frontem perfricuerunt, audeant, aut pro concione garriant: quasi hæc, vt Tertullianus loquitur, *honorigera* Ecclesiæ nota, in ipsorum synagogam conueniat.

Subsannant hæretici multas Catholicæ religionis cæremonias, processiones, ieiunia, festa, venerationem, & inuocationem sanctorum. Et tamen ipsi, velint nolint, omnia hæc in ore, & quotidiano sermone habere coguntur: aliâs à nullo Germano intelligerentur; tanquam hactenus incognitam linguam inducentes. Nam, *diem Cinerum* coguntur à cæremonia Catholica nobiscum vocare, **den Aschermitwoch**: *quadragesimam*/**die Fasten**: diem Palmarum, **den Palmtag**/ à benedictione, & gestatione Palmarum: dies Rogationum; **die Creütz=wochen**; quasi dicas, *hebomadam Crucis*: à Crucibus præferri tunc supplicantium agmini consuetis; & ipsas supplicationes, seu processiones, **Creutzgäng**: hinc, **mit dem Creutz gehen**/ *ire ad processionem* : inque templis,

&

& monasteriis, der Creutzgang. Quid iam tritius illis? auff Georgi / auff Martini / auff S. Martinßtag/ auff S. Michelßtag / auff vnsser Frawen Himelfart/ auff Liechtmeß/& centena talia in omni sermone obuia venerationem, & inuocationem sanctorum testantia; idque ex antiquo more, & vsu. neque enim heri, aut nudius tertius similes locutiones in Germaniam irrepserunt.

Neque soli Catholici vsurpant, sed & hæretici: nec dubium, quin & Iudæi, qui in Germania degunt. fitque quod S. Augustinus his verbis de S. Cypriani die natali, seu festo scribit: *Spiritus Sanctus doceat nos in hac hora, quæ oporteat dicere. dicturi enim sumus aliquid de laude Cypriani gloriosissimi martyris, cuius natalē hodie, vt nostis, celebramus. Quod nomē sic frequētat Ecclesia, id est, natales, vt natales vocet preciosas martyrū mortes. sic, inquā, hoc nomen frequentat Ecclesia, vt etiam qui non sunt in illa, hoc dicant cum illa. Quis enim hodie, non dicā in hac nostra ciuitate, sed planè per Africam totam, transmarinasq; regiones, non Christianus solùm, sed paganus, aut Iudæus, aut etiam hæreticus poterit inueniri, qui non nobiscum dicat, natalem martyris Cypriani?*

S Aug. serm. 113. de diuers.

Neque verò vlla ratione probare possum quorundā Catholicorum incuriam; qui, missis Ecclesiasticis, iisq; orthodoxorū vsu, & sermone tritis loquendi formulis, cum Lutheranis, & Caluinianis, omnia antiqua antiquare, & abrogare solitis, sese conformant; Ex quibus audias hoc, der Herr Christus/ non more Maiorum, Christus der Herr. Itē Predigt/& Predigten/non prisco ritu Predig, & Predigen Quæ incuria istos forsan eò abducet, vt tandem cum sectariis precentur quoq; vnser Vatter/ non cum antiquitate Germanica, Vatter vnser.

Cære-

Cæremoniam cereorum, qui in festo Purificationis B. Virginis consecrantur; subsannant sectarij, vt plenam teterrima superstitione. Et tamen, licet ringantur, diem illum aliter, quàm hac Catholica appellatione designare non possunt; die Liechtmeß; quasi dicas; *Missa luminum*. Festum Corporis Christi immanissimæ artolatriæ, & idololatriæ condemnant. Et tamen hoc ipsum festum honori ficentissimo titulo condecorant, vnsers Herrn Fronleichnambßtag/aut, Warleüchnambßtag/*Festum sancti, vel veri corporis Christi*. Quod si aliter indigitare tẽtarent, nemo loquentes intelligeret; ne ipsi quidẽ hæretici hæreticos. Imò multis locis vetusto & trito Germaniæ vocabulo vocant diem illum den Antlaßtag. & totam Octauam seu Hebdomadem; die Antlaßwochen/quasi dicas, *diem* seu *hebdomadem remißionis* ob indulgentias, diuina officia tunc religiosè obeuntibus concedi solitas. est enim Germanis Antlaß idem quod Entlassung. idemq; significat vox olim in symbolo: Ablaß der sind/ pro qua in vetustissimo S. Galli symbolo Vrlaß: eadem notione.

Pari modo, *Festum inuentionis S. Crucis*, aut *Exaltationis*, vocant, An deß Heiligen Creütz erfindung/oder erhöhung: aut, si Euangelico musto sunt ebrij, vocem illam, Heiligen/ omittunt: reliquas omittere nequeunt: etiamsi S. Crucis festa pessimè oderint. quippe iam olim à Luthero anathemati subiecta; sed Lutherano; quod à fulgure ex vitro nil discrepat. sic, cùm ad templum, vel Oratorium, vel Monasterium Cruci dicatum se tendere significare volunt; nil aliud, quod rogantibus respondeant, suppetit, quàm Ich gehe zum Heiligen Creütz/ *Eo ad sanctam Crucem*. nam, si absq; epitheto dicerẽt, riderentur, tanquam, ituri ad furcam, seu patibulum.

CAPVT XXIII.

Nouatores ex ipso Pater noster, nouationis euidenter conuinci, & redargui.

NEQVE illud silendum existimo, istos ex ipsa oratione Dominica redargui, quòd sint intolerandi Nouatores. Omnes Germani dicunt, **daß Vatter vnser**; & orãt; **Vatter vnser**/ imò & **Rosaria**, vocant, *Pater noster*. Vulgares etiã homines, & Latinæ linguæ ignari, **Pater noster**. Et hoc vocabulũ est antiquius, quàm illud **Rosenkrantz**. Iam veniunt isti Nouatores, occinentes, & precantes **vnser Vatter**. Et sic Lutherus Math. 6. vertit. Si quis diceret Latinè; *Noster pater, qui es in cælis*, nõne rideretur? Habet Lutherus Germanicas & Latinas explicationes orationis Dominicæ, Nec Germanicè aliter dicere potuit, quàm **Außlegung deß Vatter vnsers.** Nam si dixisset; **Außlegung deß vnser Vatter**/quis eum non explosisset?

In antiqua explicatione Orationis Dominicæ anno 1519. excusa Germanicè, Lutherus adhuc dicit, **Vatter vnser**: in ipso etiam titulo. sed postea vitat vbique hanc loquendi formam. Et tandem, explicans petitionem illam; *panem nostrum quotidianũ*, expresse dicit; **vnser Vatter**. Quem impigrè sequuntur Prædicantes non alia mente, quàm nouandi libidine. Quis autem non exsibilet nouissimum illum Nouatorum omnium Castalionem; qui non modo *Magnificat*, contra vetus prouerbium, sed orationem etiam Dominicam omnibus vsitatam corrigere volens; petitionem illam, *panem nostrum quotidianum, &c.* sic reddidit; *victum nostrum alimentarium, &c.*

Vt verò omnibus liqueat, quàm insana omnia nouandi

uādi libidine Nouatores noſtri ardeant; placet adſcribere Germanicum *Pater noſter*, antiquiſſima Germanica lingua conceptum: & ex vetuſto Codice manuſcripto BibliothecæS. Galli ex ſcriptum; quod hunc in modum ſonat: **Fatter vnſeer / thu piſt in Himile / wihi namun dinā. qhueme rihhi din. Werde willo din / ſo in Himile / ſoſa in erdu. Prooth vnſeer emezhic Ripuns hiutu. Oblaz vnß Sculdi vnſeero / ſo wir Oblazē vnß ſculdiken. En ti ni vnſich firletti inkhorunkanz / zerloſi vnſich fona vbile.**

Vbi tria nota. I. Ab antiquiſſimis Germanis non eſſe dictum; **vnſer Vatter**; ſed, **Fatter vnſer**. ſecundò; non apparere in priſco hoc *Pater noſter* appendicem illā; **dein iſt daß Reich**,&. qua non addita, putant ſectarij noſtri, ſe orationem Dominicā legitimè non oraſſe. ſi pertinet ad orationem Dominicam, obſecro, cur ante nongentos annos à Maioribus noſtris Germanis non fuit addita?

Adde, quod neque apud Lutherum hæc appendix apparet in explicatione Latina vel Germanica orationis dominicæ, vt patet Tom. 6. Germ. Witebergenſi. Nec in Catechiſmo Minore Latino; qui inſertus eſt Formulæ Concordiæ. Nec in Maiore Catechiſmo Germanico Tom. 6. Witeb. Germ. vbi tota oratio Dominica ſine hoc additamento recitatur. Nam quod in Maiore Catechiſmo Latino exſtat; forſan Prædicantium fraude accidit; cum poſtea in explicatione Lutherus verbis illis: ſed libera nos à malo, Amen. totam precationem terminet, neq; de aſſumento illo vllum verbum faciat.

Tertiò nota; illud vocabulum **wihi** / ſeu, vt hodie loquimur, **Weihe**. Hoc alibi diximus idem eſſe, quod *ſanctificare, conſecrare*; & **Weihung**, *ſanctificationem, conſe-*

secrationem. Id euidenter ex hac Germanica formula orationis Dominicæ liquet; nam **wihi naman dinan** est, *sanctificetur nomen tuum*, **Geheiliget werd dein Nam**. Quod apparet etiam ex miræ vetustatis symbolo in eodē libro exstante. nam vbi nos: **Empfangen von dem heiligen Geist** / ibi Germanica vetustas, **der inpfangan ist fana wihenu Reste**. Itē; vbi nos, **ich glaub in heiligen Geist**; ibi veteres, in **wihan Rest**. **Ein heilige Catholische Kirch: in wiha Khiribhun: Gemäinschafft der heiligen / wihero Rencitha.**

Profert etiā Zuuinglianus Vadianus lib. 2. de collegiis, & Monasteriis antiquis Germaniæ duas orationis Dominicæ formulas; vetustas quidem, sed minus vetustas quàm sit supra dicta: in quarum vtrâque, non dicitur **vnser Vatter**; sed, **Fater vnser**: Et, **Gott vater vnser**. In neutra comparet illud assumentum; quod Lutheranis est vnicum condimentum. **dann dein ist daß Reich ꝛc.** Cùm autē Vadianus Zuuinglianus tam diligenter monuerit, se non reperisse inter illas preces priscas Germanicas salutationem angelicam; longê maius operæ prætium fecisset; si monuisset, se in vetustis illis orationis Dominicæ formulis non reperisse illud Zuuinglianum, & Lutheranum additamentum: **dann dein ist daß Reich ꝛc.**

Citat etiam Sauubrandus Caluinista lib. 3. *de principiis Christianorum dogmatum* orationem Dominicam Frisico sermone conceptam, ex codice quodam Comitis Noënarij, cuius initium Atta **vnser**; non **vnser** Atta: & Gotthicæ orationis exordium est: Atta **vnsar**/apud Gruderum in Inscriptionibus; non **vnsar** Atta; vt Nouatores volunt, à quorum nouandi incensissima cupiditate, ne ipsum quidem Alphabetum tutum, ac immune fuit.

Mise-

Miſeram tuam conditionem, ô alphabetum. Hactenus ſingulæ tuæ ciues, hoc eſt ſingulæ literæ ſua in ſtatione quietæ permanſerunt: & poſſeſſionem ſuam, abſq; vlla vllius interpellatione tenuerunt. Nunc omnia vertit, & inuertit hæreſis. En tibi mirabilem alphabeti faciem, & ſpeciem, qualem à mille, & amplius annis, nullus alphabetarius puer agnouit, aut didicit: A. e. i. o. v. y. s. l. r. f. v. h. m. n. b. p. d. t. g. c. q. z. i. x. Et mirabitur ſi iſti nobis ex Vatter vnſer/ procuderint vnſer Vatter?

Attexam huic capiti, veluti mantiſſam, quendam Germanorum loquendi modum, ex quo præclara priſcæ religionis imago elucet. Quod in ſacris literis eſt *benedicere*, vel *benedictio*; hoc Germanis eſt ſegnen & ſegen; hoc eſt, *ſignare*, *& ſignatio*. Imò ipſum Germanicum ſegnen à Latino *ſigno* manifeſtam originem ducit: mutato vſitata Germanis quibuſdam dialecto i. in e., quaſi eſſet *ſegno*: Ich wil dich Segnen/ſegne dich; ad verbum; *ſignabo te; ſigna te*. Ich wil dir den ſegen geben: *dabo tibi ſignum, ſeu ſignationem*. quid iſte Germanorum loquendi mos aliud innuit, quàm ſignaculum ſanctæ Crucis Germanis fuiſſe frequenti in vſu / vnd das Segnen non niſi per crucẽ peractum: & den ſegen/ non niſi cruce facta, ſeu per crucem efformatam dari conſueuiſſe. Vnde & apud Eccleſiaſticos ſcriptores *ſignare*; & *ſignatio*, abſolutè etiam poſita, pro crucis ſignatione, & ſignaculo accipi ſolent. Itaque, quemadmodum, ſi quis alteri dicat; *ſigna te cubitum iturus*: ſigna te è lecto ſurrecturus, ſigna te aliquid operis auſpicaturus; nil aliud dicit; quàm *imprime fronti*; ſeu *corpori ſignum ſanctæ crucis*; *efforma ſanctam Crucem*: ita Germanus, qui dicit: ſegne dich, nil aliud dicit, quàm ſchlag daß heilig Creütz fir dich/zaichne dich mit dem Zaichen deß heiligen Creütz. vnd der den ſegen begert; hic petit

 ſignum,

signum, seu *signationem*; vno verbo, signaculum Crucis super se exprimi postulat. Hinc etiam apud Germanos, die frucht/ heüsser/ acker/ vnd dergleichen/ segnen. *Fructus domus, agros & id genus alia signare*: hoc est, signo Crucis edito, benedicere.

CAPVT XXIV.

Variis argumentis popularibus, & tritis asseritur Catholica veritas ad imitationem Edmundi Campiani Martyris.

CVM fortissimus Martyr Edmũdus Campiãus Ratione decima ad Angliæ Academicos omnis generis argumenta pro Catholicæ fidei veritate collegisset, & protulisset; hæc ad extremum subiecit: *Testes* (Catholicæ veritatis) *Academiæ*; *testes, legum tabulæ*; *testes vernaculi mores hominum*; *testes, electio Cæsarum, & inauguratio*; *testes Regum ritus, & inunctio*: *testes Equitum ordines*; *ipsæq́; chlamydes*: *testes, fenestræ*; *testes nummi*; *testes vrbanæ portæ, domusq́; ciuicæ*; *testes auorum fructus, & vita*: *testes res omnes, & reculæ*; *nullam in orbe religionem, nisi nostram, imis vnquam radicibus insedisse*. Præclarè hæc Campianus, & verissimè. Nam vt de Germania nostra duntaxat loquamur: omnes Academiæ, quotquot ante Lutheri defectionem in Germania exstitêre, testimonium Catholicæ religioni perhibent: quippe à Catholicis Principibus conditæ, fundatæ, & locupletatæ, in vsum, & emolumentum Catholicæ fidei. Etiam Witebergensis, & Lipsiensis, & Erphordiensis; in quarum prima, Lutherus Doctor; in postrema, Artium Magister creatus est. Non ignorabat hoc testimonium,

vt

vt ſic vocem, Academicum Lutherus; quocirca ſtatim ſub primordia noui ſui Euangelij atrociſſimis conuiciis, Academias lacerare cœpit: quaſi nihil aliud, quàm *lupanaria*, & *diaboli gymnaſia* eſſent: de cuius veſanis in Academias, & Academicos criminationibus alibi copioſius egimus,

In Notis ad Orat. Hunnij, & in Actu ſeu Inauguratione Doctorali. & M. Conradus Andreæ in Luthero Academico.

Iam verò, ſi leges Imperij Romani, quod nunc maximè in Germania regnat, conſideremus: nullam nobis aliam, quã Catholicam. & Romanam fidem proponunt. Nihil ante Lutherũ de alia fide, quàm Catholica in Germania audiebatur; donec tandem, diabolo ſerente Zizania, hæc παράπιστις, vel potius *perfidia* aſſita eſt, & aſſuta, & vnitas fidei ſciſſa.

Imperatoris, vt & Regis Romani, electio, & inauguratio, tam eſt Catholica; vt hæreticis non tantum viſa; ſed & in memoriam reuocata ſtomachum propemodũ euertat; ſummamque bilem in nares cieat, vel ob ſolam inunctionem, quæ illis maxima crux in oculis & in corde.

Vernaculi Germanorum mores, nil niſi Catholicũ ſonant: ſonant videlicet, & loquuntur ad loca ſacra peregrinationes: Cœlitum, præſertim D. Virginis, (quam reuerentiæ gratia vocant, vnſer liebe Frau) cultum, & inuocationem: crebrum ſignaculi ſanctæ Crucis vſum; Eccleſiarum vel de integro exſtructionem & dotationem, vel reparationem, & inſtaurationem; & id genus alia Catholicæ religionis argumenta.

Idem teſtantur Equitum Ordines, eorumque inſignia, & ſtemmata. Omnium loco ſuffecerit ordo Teutonicus: qui, ſi Catholicæ religioni non adeo luculentum teſtimonium præbuiſſet; nunquam, qui in Ordine præcipuus erat; ad caſtra Lutheri tranſiſſet. ſed, quia Ordo

Ca-

Catholicus erat, non Lutheranus; ideo primarius eius antistes *Catholicismum* exuit, *Lutheranismum* induit.

Fenestras rectè Campianus inter Catholicæ fidei testes posuit. In multis enim fenestris templorum; etiam à Lutheranis, & Caluinianis profanatorum, videre est, elegantissimas, & faberrimè factas Crucis & Christi, & aliorum Diuorum imagines. Cùmq; nonnullis in locis omnes penitus imagines exterminarint; his tamen in fenestris, singulari & eximio artificio perfectis pepercerunt, in Catholicæ fidei testimonium, & in propriæ perfidiæ opprobrium.

His adiungit Campianus nummos. Non immeritò. In numismatis enim Germanorum visuntur Cruces: vnde nummus, qui à Cruce Creützer/quasi *Crucifer*. Visuntur & Cœlites; vt S. Rupertus; S. Wolffgangus; cum hac inscriptione; ORA PRO NOBIS. visitur & Imperator cum diademate, & globo crucigero.

In antiquis illis Francicis & Alamannicis nummis puris putis, inquit Zuuinglianus Vadianus, *Episcopos cernimus mitra bicorni & pedo insignes. Abbates autem infernè barbatos, supernè rasos* (proculdubio nullum vnquam vidisti nummum Francicum vel Alamannicum, in quo exstaret barbatus & capillatus de grege Lutheri vel Caluini Prædicans cum birreto Prædicantico, Alamanni *Schlappam* vocant; cumq; Bibliorum sub axillis codice, hac adiecta Epigraphe: *verbum domini manet in æternum*) *Abbatissas velatas Regum munere.* (An nullas reperisti *Prædicantissas* quinti Euangelij administras?) Valde stomachatur Vadianus eò dignitatis Episcopos & Abbates euectos fuisse; vt eorum imagines & insignia in nummis publicè exprimerentur & efformarentur; quia hæc certo indicant; Reges illos & Principes, quorũ beneficio & liberalitate

Vad. lib. 1. de Colleg. & Monast.

hoc

hoc priuilegium Ecclesiasticis & Religiosis concessum est; non fuisse Lutheranos, Zuuinglianos vel Caluinianos, sed orthodoxos & *Papistas*. Quando, bone Deus, exstabunt nummi vsuales, in quibus Prædicantes & Prædicantissæ effigientur; saltem illi maiorum gentium & subselliorum, quos *superattendentes* nominant, ita vt habeant ius cudendę monetę publicę, seq; suaq; stēmata insculpendi & imprimendi prout habuit, teste Vadiano, monasterium S. Leodegarij apud Lucernenses, & Monasterium virginum, quod Thuregi fuit. præterea Monasterium S. Galli, cuius nummi Agnum vexilliferum, hoc est, Paschalem præferebant vt scribit idem Vadianus, postea Agnus cessit vrso, non cuicunque sed illi, qui diui Galli fidus & sedulus administer & adiuua fuit.

Nam quod Vadianus historiam de vrso S. Galli fabulositatis suspectam reddere conatur, fictamque ad imitationem non absimilis historiæ apud S. Gregorium de vrso S. Eutychij Abbatis, custode & arbitro pecoris, nil suo ab ingenio abhorrens facit; cui mythologiam olet quidquid Zuuinglium nō olet. Modestius Goldastus tametsi & ipse Zuuingliano spiritu instinctus. qui licet nolit esse nimis liberalis in assensu miraculis præbendo, attamen *eam sanctorum virorum fidem forcillare, aut insuper habere, præter religionem, existimat.* præter religionem ergo egit tuus Vadianus, cum hæc mira suffodere, & in fabularum classem coniicere tentauit.

Gold. in Notis ad VValafrid. de Vita S. Galli cap. 11.

Addit Campianus sua in recensione: *Vrbanas portas, domusq; ciuicas*: quas sæpe vel sanctorum imaginibus, vel Crucis effigie insignitas, vel ab aliquo sancto cognominatas videas.

Auorum fructus, vita, & mors eandem veritatem clarissimè prædicant. si fructus spectes, en tot magnificen-

tissima, & regia templa; quæ quoties, etiam in hæresi depravatis vrbibus, aspicio, toties inuicta argumenta Catholicæ religionis mihi videre videor. Nullum prorsus ex omnibus reperias, quod Lutherum, aut Caluinum aliquo modo nobis repræsentet. Tota structura, & structuræ forma Catholicam religionem spectantibus obiicit. Moliri templa mole tam vasta, & ampla, tamq; sumptuosa; non est Lutherani, aut Caluiniani genij; sed, demoliri: eiusdem proprium est templa non dotare, sed expilare; non ditare, sed eousque depauperare, vt præter nudos parietes nihil amplius reliquum fiat.

Eadem templa à patronis cælitibus, quorum in honorem, & memoriam condita sunt; nomina imposita habere; passim audies, etiam ex hæreticorum ore; quia alio nomine huius modi templa de notare nequeũt, si ita loqui velint; vt intelligantur: *Ad S. Vdalricum*, **bey S. Vlrich**; *ad S. Laurentium* bey **S. Lorentz**; *Ad S. Catharinam*, **bey S. Catharin**: *ad S. Sebaldum*; **bey S. Sebald**; *Ad S. Magnum*; **bey S. Mang**: *Apud S. Annam*; **bey S. Annen: jhm Minster**/hoc est, *in Monasterio*. Et, quod dictu ridiculum; Prædicantes ipsimet non modò ita loquuntur; & Ecclesias, in quibus populo iter ad inferos monstrant; ad hunc modum describunt; sed interdum nominant se concionatores apud *Franciscanos*, aut *Dominicanos*; **beyn Barfüssern / beyn Predigern**: illis nimirum locis; vbi *Franciscanorum*, & *Dominicanorum* templa spurcitie Lutherana contaminarunt: quo ipso, omnibus patefaciunt, huiusmodi domicilia non fuisse pro talibus inquilinis, sed pro longè aliis exstructa, & se non esse indigenas legitimos, sed per vim, & nefas intrusos.

Si quis his ipsis in Ecclesiis maiorum tumulos lustrare, & diligentius monumenta sepulcralia inspicere velit;

lit: omnia Catholicam religionem ſonora voce loqui animaduertet: in illis enim apparebunt Crucis imagines; roſaria; preces pro defunctis; dem Gott gnad: dem Gott gnädig ſein wölle. Quæ ferè ſunt omnium epitaphiorum clauſulæ. Si diplomata inſpiceres: quid, niſi Catholicam fidem inuenires? Vigilias vel annuas, vel ſemeſtres: miſſas quotidianas pro mortuis, & alia huius generis à Lutheranis, & Caluinianis placitis toto cælo diſtantia.

Addit denique Campianus, *res*, & *reculas*. Iure optimo. Ecce enim vel *Calendarium* intueamur, nihil in illo Lutheranum, aut Caluinianum, præter *Bacchanalia*. ſingulis ferme diebus adſcribitur nomen *ſancti* alicuius. Quid hoc obſecro, ſibi vult? An Lutherani, vel Caluiniani fuerunt illi, qui *Calendarij* ita per ſanctorum nomina in dies ſingulos digerendi, & efformãdi auctores fuêre? Malè hæc res hæreticos torquet. Sed quid agant? Calendarium prius reformare nõ quibunt; quàm & linguã & mores totius Germanicæ reforment. Intereaſanctos, vel inuito calamo, in Calendario ſcribere; & repugnante Lutherano prælo, excudere; & nobiſcum ad honorẽ, & venerationem Cælitum accommodatè loqui coguntur; auff S. Georgẽ tag; auff S. Laurentz/auff vnſer Frauen Geburtßtag. &c. Durum telum neceſſitas.

Quid, quod multæ vrbes; opida, pagi à ſanctis nomina ducunt: nec aliter deſignari poſſunt ab hæreticis, niſi nomine ſancti, bey S. Gallen; *apud S. Gallum*. bey S. Niclas/bey S. Georgẽ/bey S. Bläſi: *apud S. Nicolaũ, apud S. Georgiũ, apud S. Blaſium:* & millena talia in omnibus tabulis Chorographicis obuia & ſponte ſua in oculos lectoris incurrentia: quibus appellationibus cultus & veneratio, & patrocinium ſanctorum, nobis declaratur: Talibus enim

nim locis indita ſunt Diuorum nomina honoris & tutelæ gratia. Et quia interdum, vbi nunc ſtant florentes vrbes, ſancti habitarunt; eorundemque occaſione vrbes natæ ſunt, ideo Germani pietatis amantiſſimi; nouis opidis à *ſancto*, tanquam à parente, & auctore, nomen impoſuerunt. Quod apud S. Gallum in Heluetia accidiſſe, clarum. Nam locus ille olim, vaſta ſolitudine horrēdus; habitaculum fuit ſanctiſſimo viro Gallo: eius aduentu celebrari, & frequentari cœptus, euaſit non modò in celeberrimum monaſterium, ſed & in frequens opidum; ipſamque primi incolæ *ſancti Galli* appellationem accepit; ita vt diceretur, *ſanctus Gallus*; Germanicè ſant Gallē. Nam illud ſant, Germanis eſt *ſanctus*; ab ipſo nimirum Latino vocabulo *ſanctus* deſumptum. Itaque quoties ciues illi ſuæ ciuitatis nomen pronunciant; toties à Monacho & eremita ſancto Gallo ſeſe ortos, & quaſi progeneratos teſtantur: &, manifeſta documenta dant, qua ſint origine nati: & vnde, Caluinum, Zuuingliumque ſecuti, deſciuerint. Tam parum enim Caluinianus, aut Zuuinglianus fuit ſanctus Gallus; quàm parū Caluiniani, & Zuuingliani ſunt ſucceſſores ſancti Galli; qui hodie Deo in monaſterio S. Galli famulantur. Libenter equidē ſectarij hui⁹ nominis ortū occulerent. Quando nō ad *S. Gallū*; ſed, *Sangallū*; & *Sangallenſes* pronunciāt & ſcribunt. Sed quidquid ſiue hæreſeos, ſiue compendij gratia conentur; origo clarior eſt, quàm vt vllis fucorum nebulis obfuſcari queat. Etiam *ſan*, ſeu *ſant*, Germanis *ſanctum* eſt. Hinc *ſangallus*, & *ſanctus Gallus*, vnum idemq; eſt; licet hoc clarius; illud, obſcurius, & ſic ad rudiores decipiēdos aptius ſit. Quocirca fruſtra effugere nituntur, quod, vt Acheronta mouere tentent, nunquam effugient; neque vnquam *ſancto Gallo* nominis huius honorem eripient, licet nihil inauſum relinquant.

Eidem veritati Catholicæ teſtimoniũ dant ſtemmata ſeu inſignia, tam publica, quam priuata; in quibus ſæpe cõſpiciuntur Crucis imagines; Monachi, ſacerdotes, Epiſcopi, Martyres, Eremitæ, D. Virgo, aliique Cælites. Eſt, cùm & feræ, vt leones, vrſi; ſed origine miraculoſa. Nam digmata vrſi, quibus vtuntur *Abbatis cellani* ciues, & Abbates S. Galli, ortum habent à miraculo, quod S. Gallo cum vrſo accidit; & à miniſterio, quod vrſus ille, famuli inſtar S. Gallo præſtitit: de quo in uita S. Galli copioſius. Itaque ſtemma illud ſymbolum eſt miraculi à ſanctiſſimo viro Gallo, vtique nec Zuuingliano, nec Caluiniano, nec Luthcrano, ſed Catholico, & Monacho patrati: cuiuſmodi ab vllo Prædicante patratum eſſe, hactenus nunquam audiuimus; nec in poſterum audiemus.

Dicent fortaſſis; Hæc, quæ hactenus ex more loquẽdi, & agendi Germanorum adducta ſunt: negari non poſſe: verum, omnia *ſuperſtitionem*, & *idololatriam redolere: allatosq́; loquendi modos ex idololatria exſtitiſſe.* Sed qui hoc reſponſum dabit; is omnes Chriſtianos Germanos, qui ante Lutherum vixerunt, *idololatras* faciet; totamque Germaniam, *idololatricam.* Nam, vt rumpantur hæretici; in tota Germania poſt Chriſti ſacra in Germaniam introducta; nullum oſtendent opidulum, quod ante Lutherum, & Caluinum, fuerit Lutheranum, aut Caluinianum; hoc eſt, quod per omnia eam fidem habuerit, quæ poſtea à Luthero, & Caluino præſcripta eſt.

Deinde ſi modi illi loquendi, & agendi ſunt idololatrici; cur non abolentur ab hæreticis? cur vſurpantur? cur perpetua conſuetudine teruntur? ſi ſanctorum feſta celebrare certiſſima nota eſt cultus & vene-

nerationis sanctorum; veneratio autẽ, & inuocatio *idolo-latrica* est; cur Lutherani festa Apostolorum nobiscũ celebrant; & celebrando, velint nolint, Apostolos venerãtur? Quid enim aliud est celebratio, quam veneratio?

Accedit; quod non sine ingenti stultitia, & temeritate tota vetus Germania idololatriæ damnatur; fatuusq; sit; qui non malit credere, hos Nouatores esse hæreticos; quàm Germanos, maiores nostros, idololatras.

VVitakerus contra Campian.

Ad hæc iam enumerata, & è medio petita Campiani argumẽta, nihil habuit Witakerus, quod reponeret, præter communes omnium hæreticorum coccysmos. *Vt si vel Angelus cælestis, aliud nobis Euangelium annuntiet, quàm illud ipsum, quod Christus docuit, Apostoli propagarunt, nostræ Ecclesiæ profitentur, cum summa detestatione recusemus, ne dum, vt tuas hasce tam minutas res, & reculas magnopere curemus.* Quis non videt, responsionem istam esse desperationis non obscurum indicium? Non enim quæritur, quid faciendum sit, si angelus de cælo aliud, quàm accepimus, Euangelium nobis annunciet; sed cui fidei & professioni ea, quæ Campianus percensuit, testimonium perhibeant, nostræne, an sectæ Caluinisticæ? Nam quòd nostram testentur, ac firment, non nouitiam istam Geneuensem, dilucidius est, quàm vt à Wittakero, quanquam nihil non audente, negari potuerit; qui apertè animaduertens, quantum momenti in hisce *rebus*, & *reculis* consistat, eas, licet antea contemptim, & contumeliosè irrisas sibi vendicare studuit: *Nobis*, inquit, *& Academiæ florentissimæ*, (vbi illæ, ante Lutherum, & Caluinum? forsan in Vtopia) *& leges antiquissimæ*, (quæ illæ, & quarum gentium?) *& omnium generum vetustissima argumenta* (cur non sunt adducta, & Campiani *rebus* & *reculis* opposita?) *non obscurum veritatis testimonium impartiũt*. Tam scilicet

cla-

clarum teſtimonium veritatis vobis impartiūt, vt id neque à vobis, neque à nobis, neque à quoquam alio mortalium cerni queat. Quomodo enim ſub aſpectum caderet id, quod nunquam & nuſquam exſtitit? Imò, omnia, quæ Campianus longo ordine commemorauit, cōſona voce clamant, Caluiniſtas aliud Euangelium, quàm primitus maiores eorum acceperant, amplexos eſſe; non angelo, ſed ſacrilego Luthero, & ſtigmatico Caluino prædicantibus, & noua dogmata, fugatis priſcis, ſubſtituentibus. Et hæc de argumentis pro fide Catholica ex communibus Germanorum notionibus, loquendi modis, moribus, & factis, non ſine exemplo Tertulliani; qui ſimilia probandi genera proprio libro exſequutus eſt, vt initio fuſè oſtenſum.

Laus DEO Virginique Matri.

Errata pro Muricibus.

Pag.2.v.29. Mathematici. p.3.v.17. vulgatius. p.4. v.16. diſceptationem. p.25.v.6. apprehendat. *p.34.v.13.* fundamentaliter. *p.35.v.8.* ἐλευθεροθρησκείαν. *p.59.v.11.* hominis. *p.60.v.6. præſentem. p.69.v.25.* ἐφόδιον. *p.73.v.14. adamantino. p.76.v.15. celebres. p.96.v.1. occaſionem. p.99.v.24. autem. p.103.v.penult. antiſtites. p.112.v.1. fuit. p.122.v.26. veſtimenta. p.138.v.12. poſtremus. p.149.v.15.* Beyſchaff.

INDEX

INDICVLVS MVRICVM.

C.

D

E.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

R.

S.

Vn-

FINIS.